



Rhetorica Alberti Leonini a Groenewovde, sive De arte dicendi libri duo. : omnibvs eloqventiæ candidatis ad dicendum, scribendumq[ue] vtilissimi.

<https://hdl.handle.net/1874/420675>

act 2
RHE TORICA
ALBERTI LEONINI
A GROENEWOVDE
SIVE DE ARTE DICENDI
Libri duo.

OMNIBVS ELOQVENTIÆ CAN-
didatis ad dicendum, scribendumq;
utileſſimi.



◆ B & D ◆

SPIRAE,

Typis Bernardi Albini,

Ann. 1588.

А Г И Я О Г И Н Я
И В Н И Т И Б О Н И
а у о з и в о л о
и с и с т а з е з и к
о р и з и к

ж а с р т и з д о я з а н и м о
и с и с т а з е з и к



з а с

з а с

з а с

з а с

ILLVSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMOQUE
PRINCIPI FRIDERICO EIVS
nominis IIII. Comiti Palatino
ad Rhenum. & Electoratus
hæredi. Duci Baua.
riæ, &c.

ALBERTVS LEONINVS HVMIL.
lime se commendans.
S. O. P.



*Agnam semper
fuisse in humano
genere, opinionū
sententiarū & tu-
diorum diuersi-
tatem, magnam
rem Zelitorū fuisse
ubiqz frequētiam
otissimum est,*

*Princeps illustris-
sime. Quinimo ita natura cōparatum vide-
tur, rebus præstantibus quo quaqz excellen-*

4 P R A E F A T I O.

tior est eo magis ut alatrarī cōtingat. Nam
& in præclaris artibus in medicina, astro-
logia, poesi & ceterisque omnibus experimur,
conuictis imperitorum proscindit, laudari,
vituperari, placere, dispicere alias alijs.
Et in excellentibus viris quoque & in al-
to collocatis videmus ut maximè impetan-
tur inuidorum iaculis. Adeoq; nec archipoe-
tis Homero & Virgilio doctissimis probatis
misq; scriptoribus ab improborum morsu li-
beros essi licuisse, immo nec dīs ipsis, ut pri-
isci illi sapientissimi poeta & philosophi fabu-
lantur, in momo, inuidie & externe deprava-
tione atque fluctuantis naturæ conditionem
allegoricè describentes. Neque verò hæc mi-
raculiam aut noua esse possunt, qui lapsum
humani generis, eiusq; incommoda, ingenio-
rum varietatem in ipsa multitudinis uni-
uersitate infinitam, corporis fumos affectus
passiones, variasq; imaginationis distractio-
nes & impedimenta plurima rectè perpen-
dens, tum iudicandi facultatem in supremo
intellectus consilio cōsistere, & à certa rati-
one, hanc autem à plena cognitione depende-
re considerauerit. Nequererum quarumlis
bet maximè optimarum cognitionem obui-
esse,

P R A E F A T I O.

esse, perceptuq; factem, & consequenter ne-
que eorum que minus intelliguntur vel co-
gnoscuntur rationem sibi, aut sine ratione
terum quid statut. & recte confirmari posse.
Quo spectat illa doctis olim usitata, que nūc
ferè in proverbiorum consuetudinem vene-
runt. Ne sutor ultra crepidā. De arte nō iu-
dicer nisi artifex. Ars maiorē non habet ini-
micū q; ignorantē. Homine imperito nunquā
qui quā est iniustus q; nisi quod ipse fecit ni-
hil rectū putat. Quibus imperitia iniustiæ q;
temeritatem in indicando & iniquitatem
notandam, reprimendamq; essi sapientissimi
viri duxerunt: Cū viderent natura virtus
non raro ingenia à recto sensu & iudicio in
transuersum rapit & in ipsas virtuorum tene-
bras penitus prouoluit. Perfectas autem co-
gnitionis ideas & rem quamq; ut optimae esse
ita longissimè à conspicere nostro recessisse, &
non sine multo labore diligentiaq; & pruden-
ti quodam iudicij progressu agnoscit arq; per-
cipit. Sunt enim quinque omnia, ut appareat
ad rerum altiorum cognitionem magistris du-
cesq; & tanquam gradus quodam in intelle-
ctu. Sensui enim res primam obiecta in de ad
imaginationem ducitur, ex qua subiùd nascit

P R A E F A T I O.

tur proposita opinio, qua rursus dis ursur-
tione examinanda metu demū tradēda est,
ut in consilio suo contēplatio intimo supre-
mā illa manū adhuc beat. His medius sanè gra-
dibus procedere. & à corporis prauis motis
bus se affrere, animumq; & memoria cellam
multa cognitione & prudentia, multaq; ra-
tionis supellectile instruere debet qui recte &
ex exacta ratione iudicatus erit. Qua pessi-
mè conuenient cum multo maxima hominū
parte quibus nihil est proclivius quam teme-
rè ad pronunciandum profilire, & vel opi-
nando defungi aut naturæ affectibusq; indul-
gere & concedere. Quapropter cum nihil
tam tam possit esse venustum aut omnibus
numeris absolutum congruumq; quod nō alt-
cui cœzov inepitumq; videatur, nihil tam e-
laboratum quod non incurrat in columnias.
Soleat ferè qui suos labores in publicum emit-
tere cupiunt, magnorum & Principum pa-
tronij sibi canere, magisq; etiam commen-
dere omnibus qua publicè utilia esse existi-
mant. Itaque ergo, cum huius opusculi con-
scriptionem & aditionem cogitarem, capi
circum spicere quorum auhoritate in propul-
sandis malevolorum iniuriis uti, meq; scri-
pla

pta premunire & gratiōra efficere possem.
Scripsi autem de eloquentia sive arthetorica,
& dicendi rationem omnem maximē Ci-
ceronianam in methodum redigī nouam, ac-
commodatam tamē quodammodo ad vīta-
ta habētūs & recepta in ludis literariis pra-
cepta. Eu cōsilio, ut schola etiam inseruirem,
& cum omnibus quidem regula ipse, ordine
nunc commode digesta & explicata, ad rectē
dicendum scribendumq; obuiæ essent, tum
studiosi ipsam vim artis & omnia præcipua
ad eam pertinentia, que non sunt in intellectu
difficilia, uno eodemq; labore à præceptorib;
percepere, & cum ipsis artium rudimen-
tis memoria mandare possent. Atque ijs fa-
cilior etiam esset eorum perceptio, sic cum con-
suetis similitudine quadam coniungerentur:
Mīhi autē ratio facilior, quod cogito, his ia-
ctis fundamentis, exadificandi & perficien-
di, quo schola aliquando resectis minus uti-
libus ipsum solum artis nucleus suis discipu-
lis tradere, & veram inueniendi, argumen-
tandi & tractandi rationem altius ab ipsis
fontibus & cognitionis indicij principijs de-
ductam & dilucide explicatam proponere
possit. Quamvis autem hac ars sit, una de se-

ptem liberalibus & vel omnium utilissima,
quæ nimirū recte dicendi scribendiq; exqui-
sitam rationem tradit: Habet nihilominus
suos quoq; obtrectatores, eosq; plurimos. Ne-
que tamē hec sola aut præcipua sed altior mi-
hi causa fuit illustrissime Princeps, ut Tua
Celsitudini hæc Rhetorica inscriberem. dedi-
caremq;. Clarissima de tuo ingento & admi-
rādis animi dotibus fama, omnes meq; cum
primis in sui admiracionem rapit perpetuoq;
reuerentia & amoris nexu obstrictos tenet.
Nihil enim est animi virtute tanquam Di-
uina pulchritudinis radio amabilius. Cuius
fama, ut flos & suauissima bonitatis fragran-
tia, allicit deuincitq; mirabiliter. Quis autē
in T.C. tenera ista arata nō sufficiat amelior
hoc præsertim mundi statu, doctrinae inge-
nuarum artium & Philosophiae studiū, vir-
tutis, atque Dei amorem, omniaq; signa, qua
prudentis, moderati fortis, constantis & ve-
rè Principis animi sunt. Nam quid ego mo-
rum grauitatem amabili quadam & attrac-
tiua comitate conditam: magnarum rerum
imaginationem, benignitatem & humanita-
tem in omnes, aliasq; tuas dignissimas lau-
des sigillatim referā. Digne satis enumerare
non

non valeo. Eactenim est magnitudo omnium,
eaq; præter etatem maturitas, ut non modo
alij Principibus tuis equalibus præstare, sed
plerisque natu maioribus, ingenij & virtu-
tis gloria præcurrere, uniusq; inter omnes ma-
xime ad res magnas natus esse videaris. Ita
enim ferut prædicatq; docti uno ore omnes,
incredibilem tui esse expectationem, tcq; om-
nibus corporis animiq; indicij omnia excell-
entia promittere, & ad summam spem om-
nium adolescere. Ita Heidelbergæ cum essem
a docto Poeta Paulo Melissò, ita Colonie, Spi-
ra, Neapoli accepi. A quo quidem tempore T.
C. meus inscribendo desudare labor meumq;
non inani iudicio deseruire ingenium capitur.
Et gratulatus tecum sum. T. C. ô Princeps
raram eam indolis animiq; præstatiam. Que
mentem tuam proculdubio altius ad virtu-
tes summas attollet, & ad immortales ma-
tutum tuorum laudes excitabit. Qui in Pala-
tina domo, omni vera gloria laudatissimi
Principes floruerunt. Calcat enim terrena hu-
milia contempta vitiosa omnia, quisquis cas-
lestia virtutis & sapientia regna jospicit Dei-
q; timore & amore ducitur. Quamobrem re-
ctè T.C. excellentem & beatam dicere licet.

cuius cum fortuna virtus, cum virtute, dini
ni amoris gratia coniuncta est, fælicem quoque
Palatinatum ubi literæ viget & honestum,
virtusque in pretio erit semper. Neque e-
nim aliter de populo existimari potest quin
ad Principis sui imitationem, præstantem se
omni vita & morum integritate præbitu-
rus sit. Nam (ut inquit Seneca) Rex modò
velit honesta nemo non eadem volet, confir-
matque Plato quales in republica Principes
tales reliquos solere esse ciues. Multe igitur
tanta virtute excellentissime atque fælicissi-
me Princeps. Pergere porro & ad summa cõ-
tendere velis. Ut quæ signis rebusque police-
ris omnibus, exitu aliquando præstare possis.
Quamuis enim tu abundes præceptis Philo-
sophie clarisque monitis. Qui sub fortissimo
prudètissimoque Principe Iohâne Casimiro pa-
truo & tutore tuo, ita porro à nobili doctoře
viro Georgio Ludouico Huttero morum præ-
fecto formaris, ita ab insigni Iurisconsulto
Georgio Michaeli Lingelshemio præceptore
tuo literis omnibus artibusque, ingenuis erudi-
ris, ut T. C. nihil ad virtutis & gloria admo-
nitionē deesse possit. Præsertim cum etiam vi-
gilatissimus ille & nobilis Otho Grynadius
oculos

P R A E F A T I O.

71

oculos, mentemq; in vita tua cursum inter-
eat. Impellit me tamen re publicæ utilitas
ne euq; in T Camor, ut omni te obsecro
ne horiter, ne tot tamq; p̄r̄lari in tecâ Deo
collatis doribus ipse unquam defuisse videa-
rus. Proponerem tibi clarissimorum hironim
exempla ad imitandum, neminem vero h-
beo te clariorem postioremq;. Neque enim tu-
bi lucet pluribus summa virtus in tenera
hac tua etate relucens in aliis radijs nō tui post-
hui similem esse. Tercium igitur certes neuisse
est Princeps Illustrissime atque annitare se-
dulo, ut quantum aras & ratiotantum in te
crescat virtus pietatisq; quo exultata expecta-
tioni parisse possit. Ho. Cesarius Palatina do-
mus splendor hoc res publica Christiana, hos
ipse Deus omnis bonitatu & virtutu author
ante postulat, exiguitq;. Quod reliquum est
Deum oro, indolis tua ißam excellentiam eos
siliaq; omnia dirigat ad suam gloriam proue-
bargo semper. Et cum astra significare viden-
tur (quod quidam non absurdè sentiunt) post
nubila Phœbum aliquādo, magnum q; quod-
dam Pacis lumen in Germania extitum
stellamq; cælo lucidam tibi hanc palmam re-
seruet ut ad componēda orbis Christiani dis-

ſidia concordiamq; constituendā, maximum
inter omnes Prin: ipes adiumentum atq; po-
dus attulisse videaris: Cūm autem ad demor-
ſstrandam deditiſſimā nimirū in itineraq; ſtudia
promouendi cupidissimi intentionem ſcribe
read T.C instituifsem, ab eo opere potiſſimū
exordii viſum fuit, quod ſtudij ruis iſſet
apriſſimum & ab iſtitutis meis minime a-
lienum. Eſt enim ſtudij artis oratoria non
parua uirtus ad exerceendum ingenium, a-
cendum iudicium, pectuq; multa cognitio
ne & prudentia complendu, & cūm moralis
philosophia ſit vel maximē necessaria Princeps
q̄res magnas geſturus eſt, haud ſcio an
ulla tua arat uelior diſciplina adhiberi
poſſit. Quod nimirū iſi in rebus verſatur, q-
bus non cognoscēdi modo, ſed dicēdi agēdiq;
& expediendi viſ, omnisq; ad deliberandum
& diſputādum animoſq; hominum in quam
eunque partem flectendos ratio continetur.
Prudentia ſiquidem operam dat qui eloquen-
tia, eſq; nihil aliud eloquentia, ut inquit Ci-
cero niſi copioſe loquens sapientia: Ita uero
eritiam virtutē complectitur, ut ſine ea nemo
perfectus effe orator, neque eloquentia facul-
tatem (que non fruſtrā donū Dei uocata eſt)
consequi

consequi p̄fuit Sed plura de incomparabili e-
ius præstantia in h̄c libello attingimus. Quod
igitur T C utlissimum neque inuicendum
fore spero, nunc quidem h̄c odus culum quæ
laboris mei primi as offero dedicoq; maiore
aliquando studio votuam deteruētis inge-
nū operā persoluturus, petoq; suppliciter, T.
C ut suscipere dignetur, & si ita mereri vi-
debitur commēdatum habere, nutuq; suo ab
improboru malignitate conseruatum velit.

Deus optimus maximus T.C ter quatér-
que anima scilicet & corpore fælicem præ-
stes.

Spiræ 25. Septembris

1587.



AD NOBILISSIMVM
CLARISSIMVM QVE VL-
RVM ALBERTVM LEONINVM
Dominum a Groenewoude & Stoet-
wegen. I. Doct. & omnifaria
doctrina, multisq; in rem li-
terariam meritis verè
magnum.

* *

*

EPIGRAMMA

I. o. FESELLI LEONNOV THESI I. C.

Ingenio fœlix dum cœli dogmata, fontes
Naturæ arcanos, atq; aperit sophiam.
Dumque noua methodo motus describis, & omnes
Astrorum vires, mystica fata canens,
Nec minus illustras artis præcepta loquendi,
Addens iudicij clara reperta tui.
Næ tu pro tanta nulli virtute secundus,
Magni post primum nomine primus eris.



ZYD SIT RHETORICA.



RHETORICA est
ars rectè ornataq; &
cum energia dicendi.
Quæ facultas eloquē-
tia vocatur.

Rectè enim ratio-
nem grammaticam
denotat.

Ornatè, verborum
sententiarumque de-
lectum & elegan-
tiā sermonis maio-
re aliquanto gratia, intentione, perspicuitate, conci-
nno, ordine & vtiliore quadam proprietate præstan-
tem, variosque argumentorum colores significat.

Energia sensus omnes compræhendit siue modos
efficaces quibus animi hominum tractari poslunt,
excitari scilicet, erigi, delectari, conciliari, permou-
xi, dociliores, & attentiores fieri.

De oratione rhetorica, & quanta sit eius vis.

AD hanc artem institutus sermo longior siue ora-
tio rhetorica, appellatur flexanima. Cuius nimirū
tanta vis est (teste Cicerone) ut inclinatum erigere,
stantem inclinare, aduersantem & repugnantem ca-
pere, animosque hominum in quamcunque partem
vertere possit.

Quærendum tamen hic esse videtur, siue hoc nostrum seculo, aliqua præcipua eius utilitas & uetus. Cum sublato more illo orati causas in iudiciis, olim Græcis & Romanis visitato, nunc in foro Christiano legibus disceptetur, non eloquentia, & ad præscriptum iuris agi & diuidicari omnia debeant: Indignum verò etiam sit Christiano homine, artificio malle, quam veritate, & quicquam contendere contra iustitiam & æquitatem: præterea Principes quoque ita non amet prolixitatem sermonis, ut omnino breuiter apud illos dicendum sit. Sed responderi potest quod ipsa quoque etymologia indicat summam esse rhetoricae facultatis utilitatem, uisumque pluribus in rebus pulcherrimum & necessarium. Ad quam nimurum pertinet quicquid præclarè, commode & cum efficacia dicitur, & que dicenda sunt ut rectissima proportione quasi in ebra cuiusdam corporis inter se consentiant, non modo ut nihil in oratione adsit mortuosum, minusque congruum, siue intentioni vel proposito oratoris incommodum, sed singularem utilitatem fructumque efficiant omnia, & perfectæ pulchritudinis decus, viuoremque proprium. Atque eloquentiae patrocinio & commendatione, ipsa primum virtus sapientie indiget in fortunæ cætitate & iuicia. Et veritas non raro tuenda est contra iniquorum potentiam & uafritiem, presertim ubi argumenta vel languidiora sunt, vel non obuia, & minus facile explicari possunt: vel etiam iudices forte affectu aliquo vitorio preoccupati siue corrupti. Quod præclarè apud Ciceronem ostendens Antonius, Quod si tibi, inquit, Crasse licuisset pro P. Rutilio, tuo more dicere, quamuis scelerati illi & pestiferi ciues essent, tamen orationem eorum importunitatem ex intimis metibus euellisset vis orationis tuae. Nunc talis vir qui exemplum esset innocentia, virtutis & san-

& sanctitatis amissus est, dum causa simpliciter pure dilucidè ex simplici tantum ratione veritatis, nullo autem apparatu, nullo alio ornatu, atq; eo modo dicitur, vt si in illa commentitia Platonis ciuitate res ageretur. Hæc ille. Quæ vel sola sufficere possunt ad probandam huius artis præstantiam. Sæpè vero etiam in administratione publica incidunt ea & oriuntur subito, quæ non viribus neque consilio, & non tam a gendi prudentia quam artificiosa dicendi energia tēperanda sunt. Sæpè reipublicæ rectori necesse est exhortari, docere, conciliare & sapienti oratione moderari suos. Quinimo & militiæ præfecti ex hac ipsa facultate hauriunt quoties naturali quadem eloquendi solertia & militari facundia, animos militum nūc accendunt inflammantque, nunc sedant & permulcent. Et cum varijs sint animorum motus & affectus, vbique triumphat flexanima eloquentia, atque deliberando, petendo, deprecando, admonendo, consolando, regendo, disputando, docendo & respondendo diuina eius virtus cernitur. Sola ad virtutem exercitandam neruos adhibere, & ad officium quemque suum vocare potest maximè. Sola rerum gerendarum fauorem atque applausum representat, & non gestarum perfruitur gloria. Rectè sensit Panætius Philosopher neminem neq; ducem bello, nec Principem domi magnas res & salutares sine hominum studiis gerere potuisse. & sanè plurimos hic commemorare licet, quorum clarissima virtus sine adiumentis hominum euchi minimè potuisset. At conciliandorum animorum rationem tenet, omnes prudentiæ & captandi benevolentiae locos nouit pulsatque rhetorica, & melliflua oratione emollit, allicit, afficitque non uno modo. Hac facultate magister & declamator in scholis, concionator in templo, senator in se-
natur, bonus grauisque ciuis apud populum, magnam laudem coniequi, & egregium quid in suo quisque.

munere præstare potest. Hac legatus legationem suā
 cum laude exequitur, hac maximē persuadere atque
 exorare poterit, qui ad pacem orator missus est Hu-
 ius ope vel Belgia ipsa olim florentissima, quæ nunc
 tot annis tumultuatur, omniaque membra miseri-
 mè lacerata & conuulsa habet, ad tranquillitatem &
 pristinum nitorem venire posset, modò adhibetur
 vir probus, pius, sincerus, publicæ utilitatis amās, vir-
 tute, ingenio & iudicio excellens, qui agendipruden-
 tiā, consilij sinceritatem, pietatemque cum dicen-
 di facultate coniungere sciat. Nihil enim est tam in-
 credibile, ut inquit Cicero, quod non dicēdo fiat pro-
 babile, nihil est tam horridum, tamque incultū, quod
 non splendescat oratione & tanquam excolatur, ni-
 hil tam desperatum, quod nō, comitata, virtute & si-
 ceritate, eloquētia in spem reducere possit, nihil tam
 durum in animis hominū penitusque defixum quod
 nō emolliri oratoria benignitate atque erui, nihil tā
 inuisum & odiosum nihil tam depresso quod non
 sublevari aliqua commendatione & in beneullen-
 tiā rursum ponī possit. Nam & apud Principes eti
 maximē studendum sit breuitati, tamen incidentē
 prius cause, quę longiorē omnino volunt orationē.
 Atque illud ipsum breue, quod dicendum est, perma-
 gni tamen interest quomodo dicatur. Siquidē in bre-
 uitate etiam dolectus verborum aptaque collocatio
 & agendi commoda proprietas adhiberi potest atque
 energia rhetorica. Sic in iudiciis causisque ciuilibus,
 quamvis ex æquo & bono iudices & ex iuris formulis
 iudicare teneantur, solam iustitiam spectare, ver-
 borum ornamenti tanquam artificiosi cantus dul-
 cedini, aures occlusas habere debeant, plurimū quo-
 que refert quomodo causæ iustitia defendatur (præ-
 settim cùm lites sint plerunque fere ambiguę) & pæ-
 trorum artem tenere, ut dilucidè docere, ut suo quo-
 que loco maximē commodo disponere, ut causæ ca-

put tanquam dígito demonstrare queat, item excita-
re quandoque & erigere iudicium animos, eorumque
fauore in conciliare, nō quidē ad prēuaricandum, sed
ut vel in æquitatis bilancie & æquilibrio continean-
tur, vel etiam ut attentiores fiant ad causam, maiore-
que studio omnia persequantur & inuestigent notē-
que ipsi si qua vel omissa fortè, vel iudicis quadam so-
lertia percipienda sunt. In criminalibus verò multo
magis versari eloquentia, cùm commendabilis res sit
clementia, maximamque præstare potest utilitatem,
exordiendo commodè, explicando prudenter, & ma-
gno cùm iudicio, vel dealbando, colore rhetorico, om-
nesque partes diligenter ad excusandum, mouendum
& mitigandum adhibendo. Quod nec ipsis quando-
que ingratum est iudicibus, cùm criminale uiora vel
venia non prorsus indigna, rei verò vel eorum pro-
pinqui honestioris conditionis sunt. Quapropter re-
ctè Cicero existimat, oratorem etiam minimè iurisper-
titum, tamen si causam aliquam iuris edoctus sit, pos-
se eam egregiè multoque excellentius & maiore effi-
cacia agere & tractare quam iuriconsultum. Ex qui-
bus omnibus liquet summam esse omnibus in rebus,
eloquentiae utilitatē & usum necessarium, & ut agro
bene culto nihil est uberior nec specie ornatus, sic o-
ratione rhetorica nihil esse nec auditu suauius, nec u-
tilitate præstantius, nec auctoritate efficacius & ner-
uosijs. Neque verò hic quemquam mouere debet il-
lud Æschyli poetæ dictum. Turpissimum morbum
est ornata verba: & quod hæc ars simulationē & dissi-
mulationem, omniaque callida docere videatur. Nā
cum omnis vita nostra omniaque animi nostri sensa
ad virtutem dirigi debet, haut potest ille turpis esse
verborum ornatus neque illa reprehendi, simulandi
& dissimulandi calliditas quæ licet ascitio colore, ex-
sincero tamen rectoque corde prodiens, virtutis amo-
rē ad bene, nō ad male siue quicquam communi vita

alienum faciendum instituta & ad normam rationis honesti & diuinæ legis examinata est, neque vlo ma-
litiosi vafri fraudulentii animi & à communi societa-
tis humanæ candore fugientis vitio & tēterrīmo odo
re infecta. Nisi quis vituperandum existimet præcla-
rum illud, sed tamē versutum & callidum factū So-
lonis præstātissimi viri. Qui, quō & tutior vira eius es-
set, & plus aliquanto reipublicæ prodesset, futere se
simulauit. Vel impre bare audeat sapientissimum, in-
tegerrimumque Philosophum Socratem quem sum-
mum eo modo simulatorem fuisse legimus, Vel Q.
Maximum laudatissimum ducem, quem multiplici
calliditate celando, simulando, infidiando contra ho-
stes patriæ pro aris focisque pugnasse remque Romæ
nam restituisse memoria proditū est. Sed multa sunt
etiam in sacra scriptura ciuismodi exempla, & ne plu-
ra adducam, Christum dominum nostrum cōstat ea-
dem ratione nōnunquam simulasse nescire, aliosque
interrogasse quę optimè sciret ipse & se abire velle ut
magis ad manendum inuitaretur. Ex quibus sine aliis
argumentis liquet non ita præcidendam esse loquen-
di, & agēdi rationem ut non aliquando liceat de nu-
que citra alicuius iniuriam & humani candoris lēsiō
nem, sapientiæ colore & virtutis vestimento induere.
Quamuis ipsa hoc doceat rerum humanarum condi-
tio, iubeātque omnino ad inueniendam veritatem,
protegendam iustitiam, ad cōuincendam falsitatem,
& scelerorum improbitatem propulsandam. Cur
autem ad virtutis defensionem ad bonum lumenque
veritatis prouochendum nouo omnibus modis vtamur,
exceptis duntaxat iis qui publicæ iustitiæ reteruati
& commissi sunt. Immo cum intelligentiæ participes
ad cognoscendum natūsimus & ad seruendum Deo
omnis virtutis vñico fonti, ratio ipsa à nobis exigie
omnē in co diligentia adhiberi, adeōq; ut si quis quō
aperit &

apertè & simpliciter loquatur, ea telinquit vel omit-
tat, quibus magni aliquid boai efficere vel periclitam
tem virtutem & innocentiam subleuare, vel magui
aliquid mali auertere possit, stultè quidem, attamen
non minus peccare videatur, quam si Sabbati die er-
ranti & querenti rectam viam non commonsteret, vel
furioso alicui ad cedem furenti gladium ministret &
latentem indicet. vel desperato atque attræ bilis adu-
stre rebemēta, malum sibi cogitanti, & interroganti
num id quod fortè innenerit sit aconitum, esse respo-
deat. Sermonis itaque flexu & dicendi artificio sine
eloquentia ut licet, abuti verò minimè. Quæ enim ad
salutem hominum à natura & ad conseruationem re-
cti data est, eam ad fraudem & euersionem iustitiæ, ad
pestem perniciēmque bonorum conuertere, execrandum
est. Veruin ut hoc fugiendum est maximè, ita re-
ligioni minimè habendum contrarium, eloquentiæ
subsidio nocentem aliquando improbum nefariam
que defendere, & clementiam impetrare. Fert hoc hu-
manitas, patitur cōsuetudo, nec lex diuina prohibet.
Et in hanc partem videri potest rectè cœtusisse Pan-
tetium philosophum, cui Cicero assentitur: iudicis qui-
dem esse officium, semper in causis verum sequi, pat-
troniverò, non nunquam verisimile etiam si minus sit
verum defendere. Qui autem aperti & simplices esse
volunt, & nihil ex occulto, nihil ex insidiis, ut vocant,
nihil ornatis verbis, nihil sermonis flexu & circuit. Æ
agendum esse disputant: stoice illi quidem, sed tamen
haud satis explicatam sententiam defendunt, pruden-
tiāque & virtutem maximo & præcipuo adiumen-
to priuant, & improbitatem maiore libertate & secu-
ritate inuitant, publiceque utilitati minimè consulūt.
Est etenim omnis quidē non modò actio sed dictio,
ad eam rationem qua nati sumus, ponderanda. Id-
que sapienter & verè, non astutè, vel arroganter. At-
que aperti candidi animi sinceritas semper, non inter-

amicos modò & propinquos, sed inter omnes, in
communivita retinenda, fidésque data etiam scelerato
seruanda est. Neque quicquam turpius esse potest,
neque humana natura indignius, quam fraudem in-
troducere, & falsi simulati minimè sinceri animi falla-
tiis ornare dicta, & rationem veritatemque præstrin-
gere. Sed illibata manente animi integritate, & fide
illęſta, moderari, cum omnia alia tum linguam etiam
ut demōstrauimus, honestum, vtile & necessarium est.
Et cùm ad celebrādam Dei gloriam, virtus nobis pro-
posita esse debeat, & lex diuina, non idem semper di-
cere, sed idem semper spectare debemus. Videndum
enim, ne aperta loquendi simplicitas peccatum ali-
quod adiunctum habeat. Quomodo autem sapiens
moderabitur affectus hominum ad malum propen-
fiores, quomodo ad virtutem, ad sanitatem diriget,
perducētque, si eloquentiæ medicina multiplici desti-
turus, ad docendum, excitandum, sedandum, & deli-
berandum, commoda verborum varietate atque de-
lectu vti, & tāquam in media tempestate flectere na-
uem non debebit, & obsequi interdum tempestatī ut
portum virtutis tenere possit, & quo instituerit tandem
peruenire. Quid autem optatius sit improbis, quid
eos in peruersitate magis confirmarit, quam si nihil
nisi apertè & simpliciter in eos intēdi, & vel ex occul-
to & captiosa dicendi agendique solertia iniqüitas
eorū frangi & reprimi non poterit. Quamuis captio-
sum haud appellandum sit: quod ad defensionem tam
rū & vafritiem & impetum instituitur. Quinimo ea est
humana natura ratio, ut si ad interrogata semper re-
spondeatur apertè, si nihil vñquam reticeatur, vel ser-
monis prudentia obueletur & tempetur, magno il-
lud singulorū & publico omnium damno futurum sit.
Varij enim sunt animorum motus & affectus, qui &
tum mouentur subito, subitaque secum adferunt cō-
ſilia

filia, & rursus quiescunt, mutatque tempore. Et saepe precedentis diei consilium factumque redarguit pœnitentia sequens, neque unquam quicquam ita bene subducta ad viuendum ratione fuit, quem non aliquando excepti consilijs pœnituerit. Nunquam Christus ille Terentianus inuenita filia gauisus fuisset, nisi sapientior eius viror viuam ante dissimulasset, verbisque interemptam singendo, stultitiam viri crudelitatemque mitigasset.

Nihil igitur ex ea parte, eloquentia improbari potest, licetque dicendi scientia, tanquam dono Dei sapientiaeque virtutis & honesti ministra vti. Cum vero probis improbisque pariter omnibus pateat, si qui ea abutuntur, improbitatis vitio sit non artis, tantoque magis annitendum est bonis, & querendum diligenter, quo superiores sint in hac tanta facultate vel patres saltem minimeque inferiores.

De summa amplitudine cognitionis ad hanc facultatem necessaria, Et unde illa comparanda sit.

SUMMA est huius scientie amplitudo, quæ complectitur verborum, sententiarum, rerum, virtutum, officiorum cognitionem, proprietatem, effectum, & multiplices agendi loquendique varietates, item naturam hominum, vim humunitatis, omnisque naturæ, quæ mores hominum, quæ animos, quæ vitam continet, originem, vim atque mutationes, & quot modis quibusque rebus, quo genere orationis in quaque partem animi hominum moueantur, item loci, temporis & personarum in quauis causa ratione, & quid quoque loco & tempore & quo quoque ordine & gestu dicere maximè conueniat, & earum denique rerum omnium scientiam, quibus omnis, ingenij, iudicij, consilij, dicendi, discendi, agendi, expediendi quevis &

ratio omnis continetur. Quæ omnia è media sapientia, studio, labore, multa lectione, vsu, exercitatione, & imitatione comparanda & eruenda sunt. Cognoscendi igitur fontes moralis philosophiæ, ornatum, compleendumque pectus & exaeuendum iudiciū maximarum rerum scientia, copia & varietate, legendi oratores atque poetæ, tenenda etiam antiquitatis & exemplorum vis: perlustrandæ sedulò historiæ nō modò veræ, sed fabulæ etiam quounque idiomate conscriptæ sint. Ut cùm in iis passim varios loquendi, loquendi, agendique modos, subtilitates & affectus, causasque varias & earum exitus, humanæque naturæ conditionem multiplicem quasi depicta omnia ante oculos orator habeat, consequatur tandem moralem illam prudentiam & ingenij acumen, iudicijque matritatem necessariam. Præterea nec legū & iuris scientia negligenda omnino: immo & physica fundamenta de gustâda sunt quæ ad humani corporis naturam pertinent, nec aliarum multarum scientiarum gustus quidam abesse debet, si perfectio futura est. Notandi etiam sunt in præstatibus viris, gestus, & corporis motus maximè condecorantes, eorumq; proprietates penitus standæ, ut ex his omnibus orator vbiunque res postulat, haurire, eligere, & maximè propria & utilia de promere possit, eaque actione accommodata venustio aptoque corporis gestu, motu, vultu, ac vocis confirmatione exprimere. Tota itaque vis eloquentiae in multa sapientiae cognitione & in naturæ quidam apta proprietate consistit. Quibus tamen ars adiumenti nonnihil adferre potest, generali quadam ratione exquisita dirigendo cognitione & naturæ limâ vel calcar adhibendo. Scire enim quid quoque loco & tempore & apud quocunque auditores in quaunque causa deceat & dictu maximè convenientis sit, summaræ & exercitatæ prudetiæ: posse autem quod deceat facere, artis est & naturæ. Cùm autem in infinita causarum

farum, rerum, personarum, locorum, temporum va-
rietate & consideratione multifaria, oratio sapien-
ti iudicio moderanda sit, dicendi agendique non uno
modo, tantam huius artis liquet esse amplitudinem,
tantam rationum copiam ut certis terminis regulisq;
comprehendi, explicari sigillatim & describi omnia
nequeant. Veruntamen fontes aperit philosophia, ex
quibus generali quadam deriuatione, præcipua hu-
ius artis capita constitui, & peracuta quædam præce-
pta ad pertractandos hominum animos, & ad loquē-
dum, agendūmque maximè commoda excogitari &
tradi poslunt, Quæ tamen à prudentia rursum ita de-
pendent ut sine ea neque intelligi satis neq; rectè ap-
plicari queant Ea verò in methodum docendi dige-
sta, vocantur vulgò rhetorica. Et quamvis minima to-
tius oratoriz amplitudinis pars sunt, tamen eam stu-
diosis præstant utilitatem, ut quandoquidem pruden-
tia iudicii que maturitas nisi multo labore parta, non
veniat, & tempore, ysu, lectione atque doctrina com-
paranda sit, habeant interea formam generalem &
quasi delineatam locis partibusque figuram prestan-
tem, ad quam dicere scriberèque sensim assuefcat, cu-
i usque intuitu omnia ex studiis suis deinde quoquis tē-
pore & loco (dum in ipsa sapientiæ & rerum doctrina
versantur) percipienda, rectè considerare, reponere,
applicare, & ad ysum transferre possint, variosq; ipsi,
dicendi agendique modos excogitare, propriusq; ef-
figere, ad perfectam illam eloquentiæ idem omnis
sapientiæ plenissimam quoad eius fieri potest perse-
quendam.

De differentia Rhetorica & Dialectica.

Differunt inter se Rhetorica & Dia'lectica. Quod hec
res quasi nudis ad iudicandum proponit, nullum
que præceptum habet (ut inquit Cicero) quomodo

verum inueniatur, sed tantum quomodo iudicetur. Illa contra & inuenire docet, & pluribus verbis vestit proposita ornataque maximè & affectus adiungit ubique. Quamobrem Dialetica (ut idem Cicero scribit) oratori dimittenda est. Quod tamen de nuda illa & aperta disputandi ratione non de cognitione intellegi debet. Maximè enim utile est oratori & omnino necessarium, tenere vim differendi & iudicandi: vel ad rationes cuiusque rei facilius subtiliusque discernendas, vel ad argumenta inde sumenda quæ copiosius ipsis tractet ad suam utilitatem vestiarque ornamenti oratoriis.

De perfecto oratore eloquente, & diserto.

Qui autem ea tanta facultate pollet, ut ubicunque fuerit necesse, possit perfectissimè dicere, dilucide, distinctè, ornata concinno ordine, verborum commoda proprietate, sententiarumque apta collocatio & accommodata actione, vimque omnē ad tractādos animos adhibere, neq; quidquam negligere quod acutè inueniri, & ut ita dicam versutè quod subtiliter, preste, enucleatè, vel cōtra, quod grauitat acritet que atque ornata dicitur & aliquo modo ab homine doctissimo, acutissimo, & sapientissimo præstari posse videatur, is vir incomparabilis verè & proprie eloquens orator: Disertus vero dicendus est, qui licet à summo perfectionis gradu absit, plurimum tamen in illa facultate profecit, & egregium quid præstare laudemque dicendo consequi potest. Quamobrem Crassus apud Ciceronem, disertos inquit se vidisse plurimos. eloquentem verò neminem.

Cur inter eloquenterem & disertum author distinxerit, & Rhetorica definitiōnem energiam nomine auxerit.

Distin-

Distinximus autem inter eloquentem & disertum, item definitioni Rhetoricę addidimus energiam, nō modo quod res ita postuleat, sed ut admoneremus, multos s̄epe & exponere sua clarē & peripicūc, neque inepto ordine cōfundere, atque verbis sententiisque ornare, quorum tamen oratio frigida, nulos habens ad mouendum aculeos, quasi mortuum sine spiritu corpus nihil in auditorum animis vel parum efficiat, nullum viue virtutis vigorem ostendat, multos etiam disertē omnia præstare qui non eodem modo semper & vbiique & omnibus in causis possunt, & quorum orationi, si rectē & sapiēter examinetur, multa ad summam illam perfectamque dicendi excellentiam deflēt inueniantur. Quamobrem in eo, qui hoc tam graui eloquentis nomine dignus erit, plurima requiruntur.

Quamam requirantur in oratore eloquente.

Feliciter ingenium, acre iudicium, doctrina, usus rerum, consuetudo, apta quedam natrē proprietas, bona memoria, virtus animique rectitudo & sinceritas.

De ingenio, iudicio & doctrina.

Est enim omnino ingenij & iudicij præstantia opus ad doctrinam, ad inueniendum, excogitandum, & acutē iudicandum de rebus omnibus. Neque sine doctrina, tantæ facultatis amplitudo acquiri potest.

De rerum usu & consuetudine.

Magnum oratori adiumentum adfert usus rerum, & consuetudo. Multa enim per se tribuit, versatū esse in rebus gerendis: ingenium aperit, iudicū acuit,

prudentiamque auget. Multa elucidat consuetudo: deliberationis moras discutit, consilij promptitudinem addit, eloquendi, inueniendi, iudicandi & agendi celeritatem incitat. Verba enim, sententiae, rationes & argumenta per consuetudinem se ipsa offerunt. Forum denique cognitionem tradit experientia, que in quavis arte, discentis solertia inuenienda sunt. Cū scriptis omnia comprehendendi non possint. Satis vero etiam constat, & in iuri, prudentia, medicina, in mechanicis quoque artibus videre est, theoriam sine parte practica, (quae consuetudinem & usum continet) veluti mutilem, debilem, multaque partibus inferiorem esse. Ideoque Cicero testatur nec medicos, nec imperatores, nec oratores, quamuis artis pracepta perceperint, quicquam magna laude dignum sine usu & exercitatione consequi posse.

Consuetudine autem hac continentur, subitae ad quacunque propositas questiones causasque, exercitationes, accuratae & meditatae commentationes, stylus dicendi magister, orationis suae cum scriptis alienis comparatio, & de alieno opere vel laudandi virtus perandi, comprobandi, refellendi causa, disputatio, item translatio optimarum orationum in aliam linguam. Verum hic considerandum est suos habere quamlibet linguam & peculiares loquendi modos, figuratas, emphases affectus, propriamque gratiam & venustatem, quae alio idiomate exprimi aequa & integra reddi non possunt. Vnde orationes Demosthenis omnium praestantissimae, multum excellentius lingua Latina amittunt.

De natura proprietate congrua.

Natura quoque non parvam ad dicendum vim praestat & utilitatem, eiusque aptitudo maximè in eloquitate necessaria est. Nam & animi ingeniique celeres

Iceres quidam motus esse debent, qui ad excoigitandum acuti, ad explicandum ornans, amque vberes, ad memoriā firmi & diuturni, ad agendum eloqui ēlumque prompti, alacres & ubique prudentes sint, atque ipsa formā oratoris dignitas, vocisque claritas & facilitas, morum concinnitas grauitasque plurimum conferunt, ad hancque orationi venustatem, dignitatem & auctoritatem. Est enim oratoris munus nō ingenij solum (ut inquit Cicero) sed etiam laterum & virium. Hęc autem accendi quidem & commoueri, si modo insunt naturae, nō verò inseri & donari possunt ab arte, si omnino nulla sunt. Ars etenim latentia tantum educere potest, eaque si bona sunt facere tamen meliora, vel limare & quæ nou optima aliquo modo corrigeret.

Natura autem quidam ad orationem facultatem omnino nati esse videntur, quidam omnino inepri sunt. Adeoque polygraphon quendam constat, eruditissimum, magnique nominis, dicendo nihil vel non multum valuisse.

De memoria.

MEmoriae firmitatem his omnibus tot tantisq; rebus tanquam ingenij famulam, omnisque cognitionis & doctrinæ custodem omnino necessariam esse non est ambiguum.

Atque hęc parum etiam ab arte adiuuari, educi si latet, exerceri, & ratione quadam confirmari potest. Sin verò ita debilis est, ut arte illa quam aliqui scripserunt fulcienda omnino, constituenda vel paranda sit, minimè ad rhetoricae facultatem sufficere potest.

De virtute animique rectitudine & sinceritate.

Irtus denique in perfecto oratore requiritur, sinceritasq; & animi rectitudo, sine qua, omnia illa-

præclaravim suam amittunt, & ad nihilum veniunt. Neque enim quicquam valet prudentia (ut Cicero te statut) sine iustitia. Virtus autem existimationem oratoris constituit firmatque, prudentiam illustrat, & in dicendo agendoque constantiam atque æquabilitatem iuuat conseruatque. Existimatio vero plurimum potest. Siquidem ut idem Cicero probat, dignitas ipsius oratoris addit orationi dignitatem atq; autoritatem. Quo autem quisque est versutior & callidior, hoc etiam magis inuisus suspectiorque est detracta opinione probitatis. Quocirca recte Carneades philosophus sentiebat, caput perfecti oratoris esse, ut & ipsis apud quos ageret, talis qualis scipse optaret, videretur: id fieri vitæ dignitate, & ut qui audirent ita afficeretur animis, ut affici eos vellet orator: id fieri cognitione omnium rerum ex philosophia petitæ. Ex quo etiam intelligitur doctrinam prudentiæque, cum virtute (ex qua sola, omnis procedit dignitas & vera gloria) coniungendam esse. Quis vero etiā dubiter, oratori optandum esse maximè: ut diligatur ab auditoribus, ut fidem ipsi habeant: ut admirentur. Quibus tribus perfecta gloria, dignitasq; continetur. Atque illa omnia præstat conficitque virtus: Benevolentiam quidem, quia prodesse ipsa cupit omnibus, ob eandem quoque causam, fidem & admirationem, & quod honestate utilitatem metiens, nihil iniquum, in honestum aut sordidum spectat, eas autem res spernit, ad quas plerique cupiditate inflammati rapiuntur. Illum igitur amare, reuereri & suspicere omnes appetat, illi fidem habere maximè, qui ad eam dignitatem peruenit, ut existimetur adeptus coniunctam cum virtute prudentiæ. Qua nimurum & possit benefacere, velitque omnibus optimè, & præstet omnia præclara. Contrà vero, alienos ab eo animos habere eū que auersari maximè, quem minimè cōmūnē, sibi tam viuere, & non modo nihil in communē cōsulere,

sed

sed omnem ingenij vim sēpē ad iniuriam aliorum, & iniquitatem conuertere, animā inque rationali & fraterna humana societate in dignum getere percipiunt sive credunt. Quod si qui verō simulatione quadam, & inani ostentatione ficti non modo sermonis, sed etiam vultus, stabilem se dignitatē consequi posse ten-
tur, vehementer errant. Vera enim tantum gloria di-
gnitasque firma manet, radicēsque agit, atque pro-
pagatur. Ficta omnia celeriter tāquam flosculi deci-
dunt Neque enim simulatum quicquam potest esse
diuturnum Cūm nimirū fortis assumptum, nullam
habeat neque naturæ, neque voluntatis sive mentis,
neque rationis & virtutis radicem, & genuino succo
minimè nutriatur. Quod autem prudentiam augeat
virtus, cīque vigorem & energiam addat, dicendique
& agendi constantiam tribuat, intellectu etiam fa-
cile est. Duplex enim est animorum vis atque naturæ:
Vna in appetitu posita, quæ cogitationē hue & illuc,
hominē inque à recto sensu sēpē in transuersum ra-
pit, prudenti intentionem mentisque unitatem dis-
soluit, & rectę imaginationis vites strangit, perturbat
que. Altera in ratione, quæ quid faciendū fugiē: tam-
que sit docet. Quamobrem, ut Cicero probat, appeti-
tus rationi subiecti sunt lege naturæ. Studendum igi-
etur est omni modo. ut rationi, quam maximè illi obe-
diant, cāmque neque p̄currant cupiendo, neque
deserant fugiendo propter ignauia, sintque tranquilli,
neque animum perturbent, ex quo elucebit omnis
constantia, omnisque moderatio. Quicunque enim
longius euagantur & tanquam abieco freno exultan-
tes, non satis a ratione retinentur, hisine dubio finem
& modum transeuntes, non modò animos perturbat,
sed etiam corpora. Quod p̄eclare Cicero, licet ora i-
psa cernere inquit, iratorum, aut eorum, qui aut libi-
dine aliqua, aut metu cōmoti sunt, aut voluprate ge-
stunt: quorum omniū vultus, voces, motus, statuusque

mutantur. A partibus autem rationis stat virtus, s^ec^o q^{uod} mutuò ipsæ adiuuant contra appetitus, & eundē honesti finem spectant. Quanto autem magis dominat^r ratio, quanto liberior est potentiorque & disculps appetentiæ nebulis purior, tanto haud dubiè quæ ab illa dependent, prudentia, constantiaque & recta dictorum factorumque moderatio, clariores, præstatioresque sicut Quamobrem virtute adiuncta, omnia illustriora & maiora esse sequitur. Quinimo sicut vivideatur aliquando improborum astutiam committere & conferre cum virtute, tantus inuenietur virtutis vigor, tanta vis & autotitas: vt (si cætera cognitionis omnia paria sint) multis partibus superior euasura, improbosque vel sola grauitate & diuino quodam ardore & maiestate in oculis voce, vultu & gestu colluciente conterritura sit.

Quanam necessaria sunt studioso ad hanc artem accedenti & quomodo instituendus sit,

Quatuo*r* inquit Cicero ei necessaria esse, qui Rhetoricę operam dare intendit. Ut sciat discere, quod ingenium iudicium, memoriam complectitur, Ut habeat qui fideliter doceat, & ne plus sumat quam oportet. Quæ prudentiam docendi rectamque methodum, & memoriarum, naturarum, ingeniique virium rationem esse habendam innuunt. Præterea ut velit discere, quod diligentiam, oblationem, spem, laboris patientiam comprehendit, constantiamque, & ardorem quendam animi, qui maximè utilis est. Nam ut Socrati videbatur, perfectum opus censeri potest, si quis magistri cohortatione ad studium satis incitatus sit. Hic autem è grammaticz schola prodiens, si aliarum rerum & disciplinarum rudis est, à vulgata rhetorica incipere debet. Sin vero doctrinaliberaliter institutus, vñ aliquo imbutus, cognitione rerum satis instructus

structus, satis acutus ingenio & iudicio est, eo statim mit
todus est, vnde fontes erumpunt, ad Aristotelem scili-
cer, aliosque philosophos, qui dicendi rationem, & sa-
cientiae vim omnem aperuerunt.

Cum vero ingeniorum magna sit diuersitas, & plu-
ra dicendi genera, variisque modi, diligenter quidem
natura discipulorum cognoscenda est, ut ad quod na-
tura quemque sua ferre videtur, id in institutione co-
firmetur: & naturae vel affingatur aliquid doctrina vel
amputetur. In quibusdam enim nimia quædam & re-
dundans loquendi libertas, docendi prudentia repre-
menda, in aliis illa elicienda, & paupertas orationis lo-
cupletanda est. Sunt autem tria secundum Ciceronem
genera dicendi, humile, grande, & mediocre. Quorum
primum non assurgit supra communem loquendi co-
suetudinem, in quo excellit Terentius, vitiosi autem
ceasentur, qui breues ieiuni horridi & obscuri sunt,
Secundum peculiari quadam loquendi ratione costas ma-
gno apparatu, & poppa, grauitate, copia, frequeti am-
plificatione, ceterioribus metaphoris & figuris, iisq;
longius sepe petitis vittitur, & quasi de industria ornatum
ostendit. In quo genere est Titus Luivus. Vitiosi autem
sunt tumidi, inflati, & affectatione molesti.

Mediocre autem inter illa duo genera, medio quo-
dam modo se habet, copiosum est, abundatque figu-
ris, sed non tantam semper grauitatem & pompam
seruat, exhibetque. Huius generis est Ouidius & ple-
tæque epistolæ & orationes Ciceronis.

Brenis adhortatione studiosi amplitudine busus scienc-
ia deterransur.

Quamuis autem ea sit huius artis, & tam multa co-
prehendens amplitudo, non tamen desperandum,
neque desistendum, sed tanto maiore alacritate ad pre-
stantissimam & incomparabilem eius facultatem co-

tendendum est, ut si nō summum attingere detur, saltem magnum quid obtineri possit. Sunt enim omnia difficultia quae pulchra, neque frusta sapientissimi viri, mulierum sedem in summo Helicone asperi montis vertice posuerunt. Verum ea tamen est excellentissimorum quorumcunque studiorum natura, ut principia quidem sint dura & amara, mollescant vero & dulcescant tempore atque labore, quoque magis cognoris eo faciliora appareant. Quanto autem maior est labor, tanto illustrior generosi & praestantis animi gloria. Quae non paruis rebus, sed superandas aduiis comparatur. Quamobrem recte Quintilianus turpiter desperari inquit quicquid fieri potest. Est enim inertis, abiecti, mollis, & sui nimium despiciens. In praefatis vero etiam praestantibusque rebus, magna sunt ea, quae sunt optimis proxima. Et honestum est, qui prima in praestanti quodam ordine sequitur, eum in secundis tertisque, vel aliquo saltu loco non infimo consistere. Praetertim autem in hac facultate. In qua nimirum quantum acquiritur, tantumdem in rerum cognitione & sapientia comparatur. Prudentia enim operam dat, qui eloquentiae. Atque huic illa ita coniuncta & colligata est, ut multos etiam sine eloquentia sapientes videre liceat: eloquentem vero qui non idem sit prudens neminem. Multi autem fuerunt Ciceronistempore, egregii, praeflari, & diserti oratores, magnam dicendi laudem consecuti & existimationem. Qui tamen cum Cicerone in comparatione coniungi non possunt. Multi in Graecia celebres, Isocratis tamen suavitatem, copiam Platonis, subtilitatem Lysiae, acumen Hyperidis, vim Demosthenis, minime assecuti sunt. Praefatus orator, Pericles, praefatus Demades fuit, nihil tamen ad Demosthenem. Aeschines admirabilis, licet Demostheni par esse non potuerit. Varia etiam dicendi genera variisq; modi sunt, & in sua quisque naturae proprietate disertus fieri potest.

test. Dissimiles in dicendo fuerunt Romæ, Antonius & Crassus: ambo tamen excellentes, & æquali laudis gradu floruerunt. Dissimiles Cotta & Sulpicius, uterque laudem adeptus est, quamuis ad Crassi & Antonij gradum minime peruererint.

De officio eloquentie.

Eloquentiae officium est circumspicere diligenter, Ut oratio sit, apta partium sive membrorum distinctione, concinno commodoque ordine, verborum lumine, sententiarum ornatu, actionis dignitate, omnibusque propriis modis, quibus animi hominum afficiuntur ad propositam intentionem oratoris accommodata, & ex iis, quæ sapiens memoria plurimo rerū usu, multa doctrina, exercitatione imitatione, & naturæ congrua proprietate, ingenij & iudicij virtute, complexa est, maximè elaborata.

Quæ sunt partes facultatis rhetoricae, & quid orator in quauis causa querere debet.

Duae sunt partes rhetoricae facultatis. Inuenit scilicet quæ dispositionem orationis generalem comprehendit. Et tractatio, quæ affectus rhetoricos, elocutionem, dispositionem specialem sive collocacionem, & actionem complectitur.

Duo enim, ut inquit Cicero, in quauis causa querere debet orator. Quid scilicet dicat & quomodo.

Ad illud pertinet. Ut causam penitus cognoscat, & in quo rationis genere versetur. Item quod fundatum sive cause statuer, Quas rationes adducet. Quomodo, & quibus argumentis sive veris, sive verisimilibus eas probabit. Quomodo argumebabitur. Quomodo explicabit obscurâ & ambigua. Quomodo debilitabit ea, quæ aduersarij sunt. Quomodo docebit & demonstrabit aptissimè. Et cum tres sint ad fidē

causæ auditoribus faciendam modi: quoniam potissimum vtendam sit. Namq; auditorum animi, aut descendō firmisque argumentis adducendis vincuntur, aut conciliando, & benevolētia inducuntur, aut per motione coguntur ad id quod orator intendit. Item vt totam orationem in certa membra sive partes partiatur ordine congruenti, præcipuaque totius materiæ capita primum, deinde quæ singulis dicenda sint, excogitet.

Ad hoc, vt inuenta ac ordine rhetorico iam disposita tractare queat: ornare, amplificare, expolire, colorare, variare, concinnare, dilucidare, subtiliter, acutè, grauitate, & energiam adhibere ubi necesse est. Ideoq; vt excogitet varias phrases, dicendi agendique subtilitates, effectus, verba maximè idonea, sententiasque proprias, omniaque prudenter examinet, disponat, eloquatur, & gestu accommodato pronunciet.

De inuentione.

INVENTIO itaque comprehendit causarum genera & circunstantias, item rationes, locos argumētorum, & argumentandi modos.

Ad inueniendum tres oratori veluti ministros est dicit Ciceron: ingenium, rationem & diligentiam. Nā & ratio demonstrat, quod argumētorum genus cuique causarum generi maximè conueniat, idque quod in quauis causa præcipuum est & in quo vis tota causæ versatur. Et ingenium (siquidem subactum fuerit, vsu felicet, auditione, literis & lectione excultum) verisimilia etiam argumēta, multaque alia excogitat, quæ illa non statim suggestit. Diligentia vero causam propositam penitus perscrutatur, & locos quosdam argumētorum paratos habet, qui ad explicandum atque argumentandum statim occurrant.

Dispositio hæc quam generalē vocamus, est totius orationis rhetoricae in certas partes distinctio & concinna ordinatio.

Quos sint parses orationis rhetoricae.

Septem sunt orationis rhetoricae partes: Exordium, narratio, propositio, confirmatio, confutatio, amplificatio ordinaria, & peroratio.

Nam ut ipsa ratio docet, primo loco exordiendum siue quodam apto & concinno principio ad causam accedendum est. Deinde res narranda, controversiaq; constituta, intentio porrò proponenda, eaque consequenter ratione & argumentis confirmanda est. post confutanda, si que sunt, vel obiici possunt contraria, ac rur sum amplificanda, que pro intentione faciunt, postremò repetitis epilogo argumentis, pū etiisque præcipuis, concludendum siue perorandum est. Non tamen hæc omnes ubique necessariæ sunt. Propositio verò nunquam omitti potest neque peroratio.

De exordio.

Es principium quo animi auditorum ad subsequētē orationem præparatur. Quod quidem decet causæ & toti orationi ita esse cōnexum & accommodatum, ut eo ipso etiam pugnati possit, si necesse sit.

Est autem duplex: rectum scilicet, quod aperte ad causam accedit, & obliquum, quod per ambages siue occulte & dissimulanter, ideoque insinuatio dicitur.

De partibus exordij.

Tres sunt exordij partes, quæ ipsæ tamen totius orationis, omniumque eius membrorum propriæ

& vbiique adhibendæ sunt maximè benevolentia, attentio & docilitas, ut scilicet orator benevolos sibi reddat auditores, attentos, & dociles.

Varij autem sunt captandæ benevolentiaz modi, à personis & rebus, earumque circumstantiis: ut si legitimur, gratias agamus Deo gratulemur nobis, magno esse solatio, & optatislimum ostendamus: quod eos habituri simus iudices sive auditores, qui doctrina, prudentia, rerumque vsu, ingenio, iudicio & æquitate insignes sunt. Itē a loco & tempore, ut ab inauguracione Principis, à die natalitio iudicis, & similibus. Attenti fiunt audientes, & eriguntur animis, si expectationem aliquam excitamus, significando nos dicturos de rebus magnis, vtilibus, nouis, reconditis, de rebus admirandis, de ancipiiti quodam casu ejusque exitu notabili.

Dociles reddūtur si nos dilucide & non prolixè dicturos promittimus, & summā rei cōfestim & breuiter demōstramus, s̄ p̄iusq; tangimus. Sed de his partibus, quia; ut diximus, per totam orationem fuisse esse debent, p̄dūt in tractatione ad quam propriè pertinent, latius dicemus.

Quomodo exordium facile reperiri poterit & unde sumendum sit.

Facile reperietur materia exordij, eaque aptissimæ si primum tota oratio omnesque eius partes & argumenta omnia considerentur. Neque etiam antē de eo cogitandum esse monet Cicero.

Sumitut itaque ex ipsa primum conditione & materia orationis, item a virtute, doctrina, ab officio boni viri, à rerum humanarum natura, à necessitate, siue alia quadam causa idonea: cuius consideratione, apta fiat animorum præparatio, & accommodata ad intentionem orationis, appareat que oratorē recte ageat. Item

re. Item à personis, tempore, loco, a celebritate, consuetudine, aliisque circumstantiis, quandoque ex abrupto, ab admiratione, dubitatione, a sententia quaedam præclara, a legibus, moribus, institutis, siue veteribus, siue nouis, eorumque commendatione & veneratione, ab opinione hominum, a fama aliisque similibus.

De narratione.

Narratio est quæ facti siue tractandæ questionis & controversiæ calum & conditionem breuiter expavit. Hoc loco nonnunquam, controversiæ origo explicanda est latius, & ratio subiungenda cur ad descendum orator prodierit.

De propositione orationis tertia parte,

Hæc sententiam oratoris & intentionem proponit. Licet autem, si res ita ferat, plura proponere etiam diuersa inter se, enumerando, & ostendendo prudenter, quænam sententia in hac questione, & quam multæ ad victoriam proponi possint. Quod rhetores divisionem vocat. Eaque licet vel tractare omnia (ita tamè ut gradatim ad aliquod præcipuum caput ascendantur) vel ex parte, monedo quæ relinquere & præterire velimus. Quibus ipsis tamen, si modò alicuius pœderis sunt, argumēta quædam obiter adiungere, artis est, & sèpè vtile. Manent enim animis infixæ, & causam meliorem faciunt. ideoque in peroratione etiam si fieri potest, breuissimè tangenda sunt.

De confirmatione.

Hæc subsequens est quæ adferendis argumentis, proposita probare debet, & confirmare, iudicemque siue auditores inducere, ut in propositionis sen-

De confutatione.

Confutatio est dissolutio contrariorum, sive respō-
sio ad argumenta, quæ vel ab aduersario obiecta
sunt, vel aliquo modo obiici posse videntur. Itaq; hęc
pars comprehendit obiectionem sive repetitionem
obiectorum, & propositionem obiiciendorum. Ca-
uendum verò hic est, ne nimis subtiliter obiiciēda in-
uestigando referēdoque, aduersarium instructiorem,
nobis autem plus negotij ad cōfutandum faciamus.
Quod si igitur ita quædam obscura sunt & latentia,
vel a communī sensu remota, vt non facilè concipi &
excogitari ab aduersario, vel auditorum mentes subi-
re posse videantur, tacita relinquenda sunt, nisi fortè
confutationis ratio expedita sit. Si verò tanti ponde-
ris ea sunt, vt si animaduersa & percepta esse contin-
gat, neque occurrat confutatio, destruere penitus no-
stram intentionem, vel mali plurimum causā facere
possint, artificiosa quadam ratione, occulte & dissili-
mulanter confutanda sunt: vel infirmando fontes &
argumenta, ex quibus ea hautiri, & tanquam conse-
quentia concludi possunt: vel alio quodam propo-
nendo exemplo, quod & cōfutationem in se habeat,
ita tamen iudices afficiat, distrahatq;, & affectu quo-
dam ab intentione mentis acerrima auertat: vt ne-
quid ipsis de obiiciendis istis suboleat, si verò pōst vel
ab aduersario adducta, vel aliquo modo percepta fue-
riat: vt tum in memoriam redeant dissimulatae illius
confutationis, eiisque ratio causæ succurrat.

Liquet igitur confirmationem & confutationem,
omnium partium esse difficillimas, maximique labo-
ris, diligentiae & industrie, quod vera & intima ratio-
ne potissimum constituendæ sint, vel summa ingenij
subtilitate quæfitis vndeique argumentis, & maximē
artificiosis

artificiosis affectibus colorandæ.

*De amplificatione ordinaria, qua exag.
geratio dicitur.*

HÆc deinde intentionis proposita argumēta & rationes amplificat exaggratque. Estque omnino vtilissima. Quandoquidē enim confirmatione & confutatione inclinata res est, & pertractus valde iudex, dum recens est confutationis memoria, rursum ampliore etiam modo & ratione causam altius concedēter erigere, affectisque iudicibus nouum hunc aculeū infigere, maximam proculdubio habet vtilitatem, discutitque prorsus siquid dubitationis reliquum est.

Studendū verò hic est, ut si fieri potest, non solū nostra amplificemus, sed etiam contraria magis semper abiiciamus, infirmando, frangendoque quæ pro aduersario faciunt. Cautio autem esse debet. Ut amplificatio fiat ratione potissimum sensu & affectibus, loquendique & agendi modo, qui vim habeat, & animi quandam incitationem: non verò verborum copia tantum, nuda sententiarum varietate, & otiosa frigidaque sermonis elegantia. Quæ inani ostētatione, nihil causæ prosunt, sed obsunt īcpe, attentionem auditorum minuunt, distrahunt animos, & fastidium quandoque pariunt. Est itaque hic, amplificatio maximè conueniens, & inter partes orationis omnino connumeranda, quam discernēdi gratia, ordinariam vocamus. Potest enim per totam quidem orationem adhiberi, vbiique summa cum vtilitate. Eius autem semper effectus esse debet. Ut animi aut perturbentur, aut tranquillentur, & in quamcunque partem iam affecti sunt, in eam ut magis protrudantur.

De peroratione sive epilogo.

PEroratio est conclusio orationis sive pars ultima, qua breuiter repetitis argumentis, vel quæ præci-

qua maximeque commoda videntur, notataque obiter obiectiorum falsitate sive infirmitate, adhibitisque affectibus propriis, in propositionis sententiam consequenter concludimus.

Hoc loco autem præcipue, magna animi & prudetia energia, ad finem & intentionem causæ laborandum est.

De duplice & sine virtute dicendi, & ad quem finem omnis oratio instituitur.

VNiversa dicendi natura & ratio, duplarem vim habet: unam quæ ad cognoscendum instruit: alteram quæ ad agendum impellit. Atque omnis sermo sive oratio, ad docendum instituitur, vel ad imperadum. Ut si licet cognoscatur sive opinione cōcipiatut, vel præter opinionem & conceptionem aliquid fiat vel non fiat. Omnis siquidem res sive causa, ex academicorum Peripateticorumque philosophorum sententia, ad cognoscendi vel agendi vim referenda est. Cui non ineptè nec incommodè addi posse, vel si cōprehensa & inclusa est, exprimi debere videretur, opinandi ratio. Cum non tantum ad cognoscendum (quod rei proponendæ explicationem & doctrinam continet) laboratur. Sed interdum, ut illud quod nimis cognoscitur, satisque apertum est, minus cognoscatur, & opinandi ratione in dubium vocetur, vel cōmodiore interpretatione secus esse credatur. Quod ad tollendas animi offensiones, si multates, inimicietas, earumque incommoda auertenda, impetusque sedados & mitigados, aliaque plurima: utile sāpe honestum & necessarium est.

De cognitionis modis & causis, quæ ad cognoscendum referuntur.

Cogni-

Cognitionis autem, iudicem philosophi, tres modos statuant, ut Cicero refert. Quibus omnia, quae in cognitionis disputationem cadere possunt, continentur. Coniecturam scilicet, definitionem & consecutionem.

Coniecturæ quatuor genera sunt.

Primum, cum, aut an sit, aut fuerit, aut futurum sit, & possit ne esse vel fieri aliquid, & quomodo quæritur.

Secundum cum quæ sit origo rei.

Tertium cum quæ sit causa & ratio.

Quartum cum de immutatione rei disputatur. Ut num interire possit in homine virtus. Sitne verè aliquid honestum, vel in opinione. Possitne eloquentia mutari in infantiam.

Definitionis causæ sunt, cum de natura & virtute rei quæritur, vel de duabus cædemne sint vel diuersæ. Expediuntur autem, ut idem Cicero docet, per quid & quot. Quæ vim rei explicant. In definitione enim, rei conditio & vis, quid scilicet & quot peculiariter contineat, ita exprimēda est summatis. Ut nihil: vel eorum quæ ad eius proprietatem pertinet, qua ex infinita rerum natura, definita & ab aliis separata siue distincta est, abesse: vel etiam superesse videatur. Sitq; definitio nec amplior definitio nec angustior.

Consecutionis est, quid, quamque rem sequatur, aut comiteretur, tractare, simpliciter aut comparando.

Simplicium rursus sunt tres modi.

1. De expetendis fugiendisque rebus. Propter utilitatem scilicet, commodum vel incommodum, item delectationem, necessitatem, periculum, molestiam, & similia, utilitatis ratione in utramque partem consideranda.

2. De æquo & iniquo,

3. De honesto & turpi.

Comparationis duo sunt modi.

Vnus cum idemne sit, aut an aliquid inter sit queri-
tur. Ut rex & tyrannus.

Alter cum de præstantia siue quid præster aliud a-
lii queritur.

Aut igitur rerum cognitionem conjecturatio-
bus persequimur. Aut definitione explicamus. Aut ex
comitantibus consequentibusque querimus.

De causis, quae ad agendum referuntur.

CAUSÆ QUÆ AD AGENDUM REFERUNTUR, SUNT: (vt Cicero ex eorumdem Philosophorum sententia describit) AUT IN OFFICIJS DISPUTATIONE. QUO IN GENERE QUID
RECTUM, RATIONI CONSENTANEUM, FACIENDUM, q; SIT QUÆ-
RITUR. PIQUE LOCO SUBIECTA EST AD DESCENDUM, DEMON-
STRANDUM, MONENDUM, COMMENDANDUM, AD IMPETRAN-
DUM, PERSUADENDUM & DISSUADENDUM, SYLVA VIRTUTÙ
& VITIORUM.

AUT IN ANIMORUM ALIQUA PERMOTIO, VEL GIGNEN-
DA, VEL SEDANDA, TOLLENDAUE. CUI GENERI SUBIECTAE SUNT
COHORTATIONES, OBIURGATIONES, CONSOLATIONES, MISERA-
TIONES, OMNISQ; AD OMNEM ANIMI MOTUM IMPULSIO,
& SI ITA RES FERET MITIGATIO.

De causarum generibus.

EX PRÆMISSA RATIONIS ISTA PARTITIONE QUATUOR PROCE-
DUNT CAUSARUM GENERA COMMODÈ DISCERNENDA. DI-
DASCALICUM, IUDICIALE, DELIBERATIUM & DEMONSTRA-
TIUM.

De genere Didascalico.

HOc GENUS EN SCHOLIS POTISSIMUM VEL INTER DOCTOS
SIUE PRUDENTES DE RERUM COGNITIONE DISCEPTANTES
VERSATUR, & IN INTERPRETATIONE, EXPLICATIONE, VEL ETIÀ
DISPUTATIONE QUÆSTIONUM QUÆ EX ALIQA DOCTRINA &
SAPIENTIA,

sapientia sive contemplatione naturæ rerum & rationis dependent, & ad cognoscendum tantum & docendum ventilantur. Sequitur autem methodum docendi, quam Dialectica tradit. Ideoque præcipue quidem ad inuentionem pertinet, quamuis ornatum aliquem mouetur à tractatione, & aliquam energiam, ad efficiendam attentionem docilitatem, tediumque audiendi secludendum.

Duplices autem sunt huius generis quæstiones, simplices icilicet & coniunctæ.

Simplex quæstio est de uno verbo. Ut si disputetur, vel docendum sit de philosophia, quid sit.

Coniuncta est de integra quadam propositione sive sententia. Ut deceatne principem philosophia.

De genere iudiciali.

Hoc genus in foro versatur, in iudiciis, & inter litigantes. Et in eo sunt controversiae forenses: civiles & criminales, & quæcunque ad decidendum propoununtur.

Huius etiam species sunt. Expostulationes, inuestigatioæ, comminationes, expurgationes, graues quælæ, acerbæ persecutioæ.

De genere deliberativo.

Genus deliberativum est, quod deliberationem habet propositam, & in consiliis, in suadendo & dissuadendo versatur. Ut si suadendum sit, pacis conditiones latas accipiendas esse, vel dissuadendum.

Ad hoc pertinent, adhortationes, petitiones, epistolæ consolatoriaæ, amatoriaæ, item commendationes, cōciliationes: reconciliationes, & eiusmodi aliae, nō modo ad cognoscendum institutæ, sed ut propter cognitione & ratiōnes adductas aliquid impetretur.

De genere demonstrativo,

HOc genus, laudes tractat & vituperia.

Triplacem autem habet materiam subiectā. Aut enim personæ laudantur, aut eorum aliquod factum dictumne egregium. Aut res quæpiam. ut si quis Dia-lecticam laudet, vel sophistice vituperet. Ad hoc ge-nus pertinet, epithalamia, epicedia, declamationes atque exercitationes scholasticæ, item descriptiones quarumcunque rerum, ad laudandum vel vituperan-dum institutæ.

*Quibus partibus orationis in quoisi genere videntur
sit.*

IN genere demonstrativo, ad laudes quidem perso-narum communiter sumuntur, exordium, narratio & peroratio. Exordia quidem hic liberiora esse pos-sunt, & variis modis rationibusque sumuntur: Inter-dum à circstantiis, ab affectu aliquo, & significa-tione lætitiae, doloris, à lamentatione, querela, gratu-latione & similibus,

Narratio autē, hic est, historica quædam totius vi-tæ & naturæ, eorumque quæ ad laudem pertinēt, ex-positio, & perpetua, rerum ordinem seriemq; sequens commemorationis.

Huius ornamentum, est, non modo res gestas, fa-cta dictaque egregia, eorumque varios casus, & even-tus præclaros exponere, sed etiam de consiliis dispu-tare, eaque explicare & efferre laudibus, & præcipua quæque amplificare, affectibusque adhibitis, ad ad-mirationem, imitationem & memoriam æternam e-nehere, vel contrario modo, ex iisdem locis vituperā-do, quam maximè omnia deprimere.

Confirmatione & confutatione hic quandoque re-tendum est, his in rebus locisque, si qui incident, qui disputationem & dubitationem aliquam habeant.

In laudatione dictorum factorum & rerum, omnes orationis partes esse possunt.

Didascalicū licet Dialectica methodo tractetur, copiam tamē & ornamenta accipit à rhetorica. Ideo que exordium haber, quod plerunque fere commendationem docendæ sive disputandæ rei continet, & quandoque à tempore, loco & cōsuetudine sumitur. Item propositionem, quæ definitionem affert, sive summariam rei expositionē, ex locis Dialecticis porto, congruenti ordine latius explicandam. Item perorationem, quæ summātum repetens, concludit fere cum commendatione aliqua, quæ ad doctrinā sive quæ sitæ cognitionis maiorem perceptionem & conservatiōnem pertinet. Est enim boni & prudentis doctoris, eius etiam rationem habere, ad utilitatem auditorum, vel etiam ad suum ipsius honorem.

Confirmatio in hoc genere adhibetur, & confutatio, si quo loco vel in docendo & explicando, vel in disputando incidat ambiguum.

Ad quid conductus causarum distinctio.

VT cognito cause genere, omnia etiam argumenta ad genus illud huc naturam vniuersam reuocētur, eiusque omnes rationum & argumentorum loci occurant, & assumi perquirique possint, habeatque orator animo impressum, scopum orationis, & totius consilij summam. Ut scilicet recte, commodè & cum laude doceat, vel litis & disceptationis victoriam reportet, vel ad agendum inducat, vel ut laudet vituperetque ex omnibus generalis rationis locis, bene & gnauiter.

De officio oratoris in genere iudiciali. Et quernam hic peculiariter inuenienda, Et praecepitque obseruanda sunt.

R H E T O R I C A

Necessitatem primum, ut orator summa metis attentione circumspiciat, consideret quae sagaciter, quid in causa insit vel bonum vel mali, & quo modo potissimum ad victoriam reportandam, fidemque sue causae iudicibus faciendam utendum sit. Sunt enim eius tres omnino modi ut diximus. Namque iudices, aut argumentis efficacibus edocendi, aut conciliatione & per motione inducendi sunt. Quamobrem diligenter, vel rationes & argumenta vera congerere debet, vel verisimilia assumere vesienda tractandaque, vel conciliatione & per motioni prorsus incumbere, adhibendo tractationis energiam. Secundo loco, (si argumentis agendum est) perpedere debet sedulè. Quomodo argumentandum sit: simpliciter, directè, aperte, an acutè magisq; oblique: & quibus ex rebus, certis, similibus, explicitis, assumptis, an incertis, dubiis, contrariis: Et quod pacto plus proficere possit: suisne confirmandis, vel refellendis iis, quæ aduersarij sunt, vel in dubium vocatis, vel lepidè si res ferat eludendis: Item contestando litem, vel excipiendo: Expediendo & vrgendo causam, vel extrahendo, vel retorquendo & auertendo, vel distracthendo, & noua quadam adductione confundendo, vel commoda aliqua interpretatione seria vel ioco dissoluendo, vel authoritates adductas & personam aduersarij abiiciendo. Ut quod corum prestare videbitur, in eo versetur maximè. Tertiò, inter omnia querendum vincere & obseruandum est punctum ipsum causæ precipuum, siue ratio illa potissima, in qua Victoria causæ, & vis tota, siue ad agendum, siue ad respondendum, siue ad probandum, vel refellendum, sita est maximè. In quo punto, rectè & acutè, tangendo, non oratores modo quandoque, sed iuristæ etiæ ad uocati & causarum procuratores non raro hallucinatur, negligētia nimirum & laboris fuga, vel etiam imperitia, ingeniique & iudicij imbecillitate.

Ad hoc autem in quauis re proposita, exactè inueniendum

nendum. necesse est causam plenissimè cognitam habere. & omnino opus est prudentia, iudicij acumine & maturitate, magnaque in omnem partem considerationis diligentia.

Quarto tenenda est oratori etiam illa ratio, quam punctum illud communiter maximè & expediti possit. Sunt igitur illa duo querenda imprimis, nimirum ut scopus sint, ad quem omnia argumenta, omnis labor, omnis tractatio, ingenio, memoria & arte dirigantur. Quapropter rhetorica scholastica docet, in quo uis negotio, siue disceptatione proposita, duo esse cognoscenda, menteque desixa. & semper ante oculos habenda. Statum scilicet & principalem syllogismū.

Est autem status, ipsa præcipua & validissima propositio, siue conclusio, & fundamentum quo summa negotij & victoria maximè nititur.

Syllogismus principalis est, qui ex omnibus rationibus & argumentis, quæ ad causæ victoriam pertinent, firmissima maximeque efficacia continet. Ipsi scilicet statum in conclusione siue consequentia, & præcipuum quoddam argumentum in maiore vel minore, quo ita confirmetur status, si fieri potest, ut reliqua parte probata, conclusio syllogismi plana fiat. Ut cum Ciceroni dicendum esset pro Milone, qui Clodium occiderat, & factū inficiari non posset proxima fuit & potissima liberandi ratio: dicere iure cæsum esse, ideoque adiungere, Milonem vim vi repulisse, in quo præcipuum iuris remedium esset.

Fit igitur principalis syllogismus,

Vim vi repellere licet,

Milo vim vi repulit.

Ergo Clodium Milo iure occidit.

Maior enim ex iure naturali, certissima est. Circa minorem verò, quia incerta est, tota disceptatio reliqua vertitur. Eaque probata, status siue conclusionis victoria sequitur necessariò. Eadem omnia in genere

etiam deliberatio, non inutiliter obseruari possunt, tangendo scilicet ea sepius, & maximè in peroratione, in quibus præcipua vis est. & in disputatione Didascalica quoque syllogismus principalis fieri potest.

Quos sint status generis iudicialis, & unde orantur.
TRes sunt huius generis status, Coniecturalis, Iuridicalis & Legitimus. Quia nimirum, ut Cicero docet, tria sunt genera, quæ in disceptationem cognitionis sive controversiam cadere possunt. Facti scilicet, qualitatis, & nominis. In omnibus enim causis: sive constet ex criminе ut facinoris sive ex controversia, ut hereditatis: sive ex deliberatione, ut belli: sive ex persona, ut laudis: sive disputatione aliqua, ut de ratione viuendi: quætitur, quid fiat, factum aut futurum sit, vel quale sit, vel quomodo vocationis, sive quo nomine definitum propriè & discernendum, ut quid sit intelligatur. Aut igitur eorum, quæ in coniectura posita, ambiguntur an sint, veritatem persequimur, sive alterutram partem sustinemus. Aut eorum quæ certa sunt, qualitatem ex natura rationis, præscripto iuris, consideratione comitantium consequentiumque examinamus. Aut legitimum nomen querimus: Quo vel proprietas rei omniaq; iura ad eam pertinentia significentur, vel diuersarum opinionum controversia decidatur. Coniecturalis status est, cū de facto vel dicto est disceptatio. Oriturq; ex questione an sit. Ut an Carbo, Scipioni Africano vim attulerit. Item sitne à Cicerone dictum, laudandum esse, ornandum & tollendum adolescentem Cæsarum Angustum.

Iuridicalis est, cū de iure disputatione & qualitate facti, iure vel iniuria, bene vel male, recte vel secus factum sive dictum sit. Ut sitne iure, Julius Cæsar à Bruto & reliquis coniuratis occisus, vel Tarquinius rex expulsi,

Legit-

Legittimus reliquias omnes lites & controvērsias complectitur. Oriturque ut diximus, ex quēstione iūris, quid sit. Cūm scilicet aut de nomine, aut de ipsa nominis vi, proprietate & iure quāritur & disceptatur. Ut de eo quod ablatum est, siue furtum aut rapi-
na. Item quid iuris sit in furto.

Habet autem sextuplicem materiam subiectam. Aut enim definitio rei quāritur, aut cōtrariorum ex-
plicatio, aut obscurorum, aut ambiguum. Aut nouę
cause decisio desideratur, aut causa in aliam disputa-
tionē transferenda est. Sunt itaque sex status legales.
Definitius. cūm ex significatione rei cōtrouerſia pē-
det, siue de ipsa vi & etymologia contendit quous-
que le extendat, & quid contineat. vt si quēstio sit de
legato, potissima ratio est veram definitionem, natu-
ram & proprietatem legati indagare.

Status contrariarum legum est, cum ex contrariis
legibus siue sententiis controvērſia procedit.

Status ex scripto & sententia est, cūm propter scri-
pti obscuritatem siue ambiguitatem, aliud videtur
sonare litera, aliud indicare voluntas scriptoris, &
disceptantium alter verbis ipsis scriptis, alter scripto-
ris sententia ntitur.

Vtrum verò potius estimandum, & retinendum sit,
ratio discernere debet. Quod si autem vtriusque pat-
ris rationes, & quali pōdere sunt & gradu, pro scripto
iudicandum est.

Status ambigui est, vbi dissensio oritur ex verbi ali-
euius vel dicti significatione, quia ambigua est, vel ge-
neralis, pluresque interpretationes admittit.

Status ratiocinationis est vbi causa sine quēstio,
neque lege definita, neque exemplo vñquam decisa
inuenitur, ideoque (cūm certum propriumque locū
in iure expreſsum non habeat, ex quo probari possit)
ad similia & cognata referenda est. Cum quibus seili-
cer non in eptē cōnecti posse videatur. Oportet enim

quam maximè congruam esse similitudinem, ne cur-
betur consequentia.

Status translationis est. Cùm ad rem non respon-
detur directè, sed ratione aliqua ex transuerso vel ex
antecedentibus assumpta. causa inciditur, & in aliam
disputationem transfertur. Vt si in foro reus, ne litem
cōtestetur, exceptionem aliquam declinatoriam, vel
dilatoriam, vel peremptoriam opponat. Cuius dispu-
tatio autè terminanda est & decidenda. Non enim
rectum nomen in iudicium adducit, vel non rectè a-
git, qui exceptione redargui & repellere potest.

De circumstantijs.

DVplices sunt circumstantiæ. Personarum scilicet. Vt
natio, sexus, familia, ætas, educatio, disciplina, a-
nimæ natura, mores, fortuna, forma corporis & vires,
& id genus aliæ. Item rerum, quæ scilicet antè & post
& cum re qualibet queri & notari possunt. Vt causa,
locus, tempus, apparatus, constitutum conuiuiū, mo-
dus, materia, occasio, instrumentum, corporum um-
bræ, strepitus hominum, rubor, pallor, vestitus, & si-
milia antecedentia comitantia & consequentia. Ex
quibus argumenta queruntur, ad probandam vel re-
fellendam & auertendam facti sive dicti suspicionem.
Vt ad probandum homicidiū. Causa fuerit capitale o-
dium, Natio vindictæ cupida. Audacia iuuenilis æta-
cis. Natura affectibus indulgens, & hereditaria etiam
familia ratione, insidiosa, educatione depravata, & li-
centia nimia deterior semper facta. Tempus & occa-
sio, cùm omnes abessent. Alter vino obrutus, & incau-
tus ex infidiis loco obscuro, ita facili modo interfe-
ctus est sica rubiginosa, quod ipsa quoq; vulneris for-
ma & qualitas indicat.

Vti licet etiam quibusdam circumstantiis in qua-
stionibus iuris ad indagandam rationem legum, &
mentem legislatorum,

*De inuentione rationum & argumentorum corumque
locis, & de modis argumentandi.*

Ratio est, quæ docet, quid dicendum, faciendum & experendum. quidqne fugiendum sit. Et ex eo fine pendens, ad quem creati sumus, discernit inter bonum & malum, officiumque hominis rationale constituit. Cui quidem anima intellectua & rationis cœpax indita est à Deo. Ut amplesteretur bonum, fugeatque mali cognitionem & consiliorum: Et cum rationes rerum omnes, originem, causas exitusque, præcedentia etiam, progressus, & consequentia, considerare, cernere, inuestigare, cōparare & dijudicare possit, non peccaret ignorantia, neque quicquam ratione indignum committeret: Sed cum cætera anima-
ria terram prona, ut inquit poeta, spectantia, solo vi-
talis radj, vel naturæ ex materia & luce huius infe-
rioris abyssi, sp̄itatis, sensu & instinctu ferantur, ad co-
gnoscenda, quærenda & execienda, quæ ad nutrime-
tum & appetitum pertinent.

Ipse oculos, animumque ab æterno intelligētiæ & rationis lumine delibatum, in cœlum attrolleret, & ra-
tionis iudicio, omnia ageret, totiusque vitæ suæ cut-
sum, ad finalem creationis causam institueret, dirige-
retq; Ideoque quanto magis inde, ad inceptias, nugas,
iocos nimios, sermones inutiles, aliasq; otiosas vani-
tates, temporis fallendi causa: tanto quidem magis,
ille ab officio & dignitate nominis sui recedit. Cuius
alia nimirum ratio est. Quod etiam Ethnici sapientes
viderunt: ut Cicero, qui ad severitatem potius quam
adiocum, ut Plato, qui contemplationis gratia natū
esse sensit. Verum si quid omnino sine ratione, nulli
illud & temerarij: si contra rationem dicit faciue
scieus, pecudis est potius quam hominis. Philosophi
autem Ethnici, magna ingenij præstantia: cū causam
& rationem humani generis optimamque viuendi

rationem quererent. Considerantes, quid tam excellētē societātem, rationum omnium capacem deceret, quidque expediret maximē. Illud inuenierunt, quod honestum appellant, normam esse debere, & quasi generale præscriptum, ad quod omnia sua homines examinarent. Cuīs doctrina scilicet contine-
ret: a virtutis se quam maximē asserere: sensuum & corporeā naturā peruersitatem domare: nemini iniuriā facere: & non sibi tantum prodesse, sed etiam aliis, & in commune consulere. Quibus societatem optimē constitutam & ratione florentem cōseruare possent. Honestum verò illud, iidem philosophi, in plures spēcies sive formas partiti, diligenti explicatione persecuti sunt. Vnde moralis philosophia orta est. Et dispu-
tationes præceptaque omnia, de officiis cuiusque generis status & conditionis hominum. Et prudenter quidem illa, ex dignitate & utilitate rationalis natu-
ræ statuerunt. Veruntamē diuina atque intima ipsius boni ratio minimē illis percepta fuit. Et cum modū
eternā salutis acquirendæ minimē tenerent, atque ignorarent veram gloriam in simplicitate, humilitate, contemptu & abiectione omnis mundanæ gloriæ sita esse: in vera animi perfectione & in fraterna charitatis ratione exprimenda hallucinati sunt. Quamvis enim honesti appellatione religionem complexi, rectè viderent Deum, quem minus verè cognosceret, tamen esse colendum, a quo creata essent & penderent omnia. Quamvis etiam eorum nonnulli, altiore contemplatione, cœlestis perfectionis felicitatem subodorati sunt. Tamen vero lumine carentes, & cō-
modorum mundi cogitatione plerunque etiam sedu-
cti, à vera amoris diuini cognitione & rationis inti-
ma puritate semper absuerunt. Sed Christus dominus noster omnibus tandem omnia explicauit perfectissi-
mē. Triplicem animæ facultatem, mentalem scilicet purissimam, rationalem medium, & sensitivam infi-
mam

mam corporis sumis immersam penitusque inhærentem: vnitatis felicitatem: diuini a. notis viii; fidei energiam: coniunctionis cum Deo & æternæ salutis consequenda modum: seque ipsum mediatorem aperuit. Veramque creationis nostræ finem ostendit gloriam Dei. Tum incomparabilem cedidit ex diuina sua sapientia, perfectissimamque moralem philosophiā. Et mentali quidem virtuti, Euangelicæ perfectionis doctrinā: rationali verò & cōmuni vitæ præcepta viuēdi tradidit omnis salutaris rationis & iustitiae plenissima. Ut ex clarissimo illo lumine omnes oriundi, minimè a ratione recederent. Sed pro se quisque operam daret, ne societatis istius vniuersale lumen, aliqua vitiorum obscuritate laderetur. Itaque se omnes moderarentur mutua animorū charitate, iustitia, & vna ad bonum intentione. Ut societatem rationalem tueri possent, ad similitudinem quādam diuinæ simplicissimæ vnitatis. Et si propter depravatæ naturæ imbecillitatem, seruare omnia exactè & præstare minus possent: niterentur tamen quam proximè ad perfectionem accedere. Et vel volutate saltē ab animæ dignitate & diuinæ legi ratione, in contrariu. n. minime abirent. Præsertim quibus ad hoc inuocati bus, Dei gratia præsto semper sit, neque vñquam abnuat. Ut ita in eorum omnium vnitate & recte obseruatione, gloria Dei, in hoc mundo eluceat & celebretur maximè.

Rationum itaque, quæ in humanis rebus versantur Prima quidem est, & præcipue spectanda. Gloria Dei. Deinde ad societatem etiam & iura humani generis, animorūque nobilitatem dignitatēque pertinentes. Benevolentia mutua, benignitas, concordia, æquitasque.

Item lex diuina, & doctrina honesti. Quæ tradunt illa, explicantque omnia latius.

Præterea. vtile & necessariū. Quibus addi possunt,

Quæ omnes ad agendum inuitantes, causam eue
aliquid fiat, vel fieri debeat, demonstrant.

Sequuntur quæ his contrariae sunt, ad evitandum
fugiendumque pertinentes: Impium, turpe, inutile, in-
commodum, indignum, molestum, luctuosum, diffi-
cile, periculosum.

Honestum dicitur, quod propter se experendum
est. ex nobilitate animæ, & consideratione rationalis
naturæ. Turpe, quod propter se eodem respectu fu-
giendum est.

Honestum diuiditur in rectum & laudabile.

Rectum est, quod exactam rationis perfectionem
habet. Diuiditur in virtutem & officium.

Virtutis vis duplex est. Aut enim scientia cernitur,
aut actione.

Scientia prudentiam, calliditatem, sapientiam, &
bonarum artium doctrinam complectitur.

Prudentia & calliditas, in rerum humanarum co-
gnitione versantur. Et in eorum iudicio atq; vñ, quæ
ad rectam rationis in communi vita administrationē
pertinent.

Calliditas autem hæc, est, cognitionis, ingenij, iu-
dicii que in circunspectando, minutissimaque explo-
rando, & ex locis remotioribus perquirendo diligenter
omnia, quæ ad rectum rationis propositum, vel
magis vnde communieundum, vel maiore utilitate
cumulādum faciunt: item in excogitando subtiliter
varios dicendi, agendi expediendique modos, acuta
solertia. Contra improborum astutiam & fraudem
maxime necessaria. Sapientia vtramque: humanarum
rerum cognitionem, & diuinarum cōtemplationem
comprehendit. Doctrina artium per se nota est. Pru-
dentia autem omnisque solertia vñ compatatur, &
disciplina. Estque alia domestica, alia ciuilis. Diuidit
ur autem in intelligentiam, quæ, præsentia: & prou-
dentiam,

dentiam, quæ futura perspicit: item reminiscentiam, qua in praeteritorum, eorumque etiam quæ minime remdata sunt memoriar, repetitione: & memoriam, quæ in perceptorum atque cognitorum conseruatione veritatur.

Actio comprehendit Curam diligentiamque in parandis honestiis & conservandis, quæ ad virtutem, status, & familiæ sustentationem honestam necessaria sunt. Item Magnitudinem animi. Modestiam sive reverendiam, quæ dedecus fugiens, laudemque maximè consequens, custos est omnium virtutum. Item Scientiarum præstantium exercitium. Et præcipuum quandam diligentiam & singularem animi addictionem in aliquo genere virtutis extra ordinem colendo. Magnitudo animi continet temperantiam, fortitudinem, iustitiam, benignitatem, & generositatem. Reæte autem ita vocatur. Est enim magnus vetere animus, qui omnia ea ad rationis nobilitatem pertinentes prestat. Calcarque contraria.

Temperantia est, rationis, in libidinem aliosque non rectos concupiscentiae impetus firma dominatio: Item severitatis animique in iram sive odium concitati remissio, & ad lenitatem conuersio atque moderationis. Et prior quidem illa duobus modis, in rebus cōmodis discernitur: non experiendo ea quæ absunt, & ab iis abstinentendo quæ in potestate sunt. Diciturque continentia Posterior autem vocatur clementia.

Fortitudo est Quæ inuicto quodam animi robore venientia accipit mala, iisque resistit quantum potest. Labori non cedit. Fortuna non frangitur. Desperatione non deicitur. Iniquitate, instabilitate, vel aliquo affectu indigno non tangitur. Timori ita resistit. Ut nunquam perturbetur, nunquam à decoro recedat, nunquam officio desit: Audeatque virtutis ergo. Huius etiam species sunt: Patientia in ferendis, quæ iam adsunt, aduersis, tolerandisque & superandis ar-

duis difficultibusque. Altitudo animi in capiendis incommodis, maximè iniurias. Item quæ in ratione bene ponderata & considerata, virtutis amore constanter permanens, sancteque & inuiolatè seruas promissa, Perseuerantia, fides vel generali nomine Constantia appellatur. Item, quæ magna tantum cogitat administratque. Magnificentia. Quæque multum in se fiduciz ad res magnas certa cum Ipe virtutis & rationis vel diuini auxilij ponit, Confidentialia.

Iustitia est Æquitas ius vnicuique suum tribuens. Quæ (secundum Ciceronem) Religio erga Deum: Erga parētes, patriam aliosque sanguine & necessitudine aliqua iunctos, Pietas, vulgo bonitas: creditis in rebus, fides: in moderatione animaduertēdi, Lenitas: Amicitia, in benevolentia vocatur. Diuiditur autem in Naturam, Consuetudinem, & Legem. Natura, ius est. Quod non hominum opinio, & constitutio, sed ipsa per se nos docet, vis rationis innata. Complectitur religionem, pietatem, gratiam, obseruantiam, veritatem, pactum, iudicatum, par, punitionem & defensionem. Religio Dei amorem ac timorem, diuinorumque præceptorum obseruationem continet. Pietatis officium eos spectat quos diximus. Gratia est animi gratitudo. Siue beneficiorum, officiorum, meritorum & amicitiarum memoria & remuneratio.

Obseruantia. Quæ, atatis vel sapientiae & doctrinae honore vel muneris alicuius siue dignitatis prærogativa præstantes, veneratur.

Veritas animi scientiam exprimit.

Pactum est conuentio inter eos meritò seruanda quorum consensu contracta est.

Iudicatum de quo iudiciaria sententia iam constitutum est.

Par. Quod æqualitatem rationis habet. Eodem autem iure & iisdem argumentis censeri meritò debet, quorum par in omnibus ratio est. Punitio per quam peccata

peccata puniuntur. Competit magistratui iisque superioribus, qui vita necisque potestatem habent ad coercendos malos, & protegendos bonos. Est etiam quadam dominorum in seruos. Et lenissima parentū in liberos, præceptoris in discipulos. Diciturq; corre ctio siue castigatio, ad emendandum prudenti iudicio & diligenti cōsideratione adhibenda. Item patris familias in totam familiam suam, vel sola vultus se ueritate, benignitatis quadam imminutione, aliisque offensi animi iudiciis expedienda, ad conseruandum in optimo statu omnia, & ad retinendam autoritatē. Quæ ex œconomica prudentia pendet. Vindicta vero in uicitudinis iniuriis, quæ ethnicis olim honesta erat nullum inter Christianos locum habere debet.

Defensio est, quæ vim iniustum & iniurias propulsamus. Consuetudo, ius est, quod frequēti vsu ac temporis diuturnitate ac vetustate autoritatem obtinuit. Lex ius est, populi aut senatus, prætoris, imperatoris, aut Principis ius ius constitutū. Benignitas, beneficētiam & liberalitatem continet. Beneficētia in iuuādis bonis, eorumque probis conatibus promouēdis in subleuandis miseris, contolandis tristibus vescatur. Liberalitas in vnu pecunia cernitur.

Generositas dignitate metitur omnia: Itaque facilem, apertum, candidum vbiique exhibet. Ut concedēdo, remittendo, ferendo, indulgendo, largiendo etiā, propriamque utilitatem negligendo, virtutis amore & alicuius boni efficiendi causa, plus etiam præster, quam rationis iura in societate humana postulant exiguntque. Reliquæ actionis virtutes satis per se notæ sunt. Omnia vero hæc ad virtutes & vitia pertinentia clarius ex septenaria naturæ partitione explicantur, & ad numerū planetarū distinctasunt in oratiōe nostra pro cœlesti philosophia media. Discernēda autē diligenter sunt, quæ virtutes has imitari videntur via. Nam, vt inquit Cicero, prudentiam malitia, temeritatem

perantiam immanitas in voluptatibus aspernandis, & magnitudinem animi, superbia in animis extollendis, & despicientia in contemnedis honoribus: Item liberalitatem effusio, fortitudinem audacia imitatur: Patientiam duritia immanis, iustitiam acerbitas, religionem supersticio, & lenitatem mollitia animi, secundam timiditas, disputandi prudentiam concratio captatioque verborum, orationem vim inanis quedam profluenta loquendi. Studiis autem bonis similia videntur ea quæ sunt in eo genere nimia.

Officium ex ratione conditionis personarum, Ut etatis, doctrinæ, dignitatis, professionis: item loci, temporis & rerum propositarum: & ex eorum omnium ad doctrinam honesti examinatione oritur. Estque id quod in suo quæque statu decet peculiariter, loci, temporis & causarum diuersa consideratione non nihil variandum. Aliud enim officium est priuati, aliud magistratus nobilis, plebei, senis, juvenis, docti, indocti, militis, præceptoris, discipuli, viri, foeminæ, coiugati, cælibis. Aliamque aliis locis, temporibus & causis proprietatem accipit, & agendi varietatem requirit.

Laudabile est. Quod ex virtute vel officio oritur. Et licet non in summo exquisita rationis gradu summaque perfectione versetur, ut ipsum rectum, habet tamen præstantem conspicuam præclaram ideoque laudabilem in se rationem.

Vtile continet conseruationem præsentium commodorum siue bonorum: Et acquisitionem sequentium: Eoruque cuitationem, que illis contraria sunt. Id autem nunquam ab honesto segregatum esse debet. Est vero utilitas alia priuata siue singulorum propria, alia publica & communis omnium.

Bona sunt, Aut corporis. Ut forma, pulchritudo, membrorum & organorum omnium recta constitutio, firma valetudo, & humorum debita iustaque proportio. Aut animi. Ut indolis præstantia, virtutes innatae,

natae, docilitas celeritasque ingenij, iudicij acumen, memoria fœlix, industria, & quæ ea comparantur virtutes. Aut fortunæ. Ut generis claritas, opes, amici, honores, & eiusmodi alia.

Necessarium dicitur secundum Ciceronē, id sine quo liberi salviique esse non possumus. Quod in ciui- li quidem ratione, reliquis honestatibus & commo- dis anteponendum est. Sub hoc etiam continetur id quod permagni interest ut fiat.

Iucundum, (illud quidem quod cum honesto con- iunctum est) moderatam animi recreationem habet. Quæ non tam auocet ab officio & dignitate intellec- tivæ facultatis, quam refocillando animum alacri- rem reddat. Verum in rhetorico artificio latius ut vti- le etiam & pleraque alia accipitur, & ad inducēdam afficiendamque sensitivam animæ facultatem exten- ditur. Reliquæ autem quæ sunt rationes: quibus ad- di possunt, minimè in honestum, minimè incommo- dum, iniucundum, molestum, difficile, indignum & eiusmodi alia, intellectu faciles per se fatisque nota- sunt.

Ex his igitur fundamenta causarum sumēda sunt. Et rationes cuique rei ad cognoscendum vel agendū conuenientes, siue veræ, siue verisimiles & quæsitæ. Nam cum omnia in humana societate, ratione con- stare & fieri debeant: Ita verò etiam rationis audien- dæ & sciendæ audiū sit genus humanum. Ut qui in suis rebus non semper ratione viuunt: in alienis tamē eam quærāt cupidè. Nihil sanè nisi ratione vestitum, adferre debet: Cuius propositum est ad disceptandū, deliberandum, docendum, probandum, refellēdum, extollendum vel deprimendum.

Atque hoc quidem in oratoris officio præcipuum est. Deinde autem, ut diximus, quærenda sunt ex om- nibus locis argumenta, quibus adducta ratio (si mi- nus fortasse certa est) constabili & firmari, aliaque

omnia probari & refelli possint . præsertim si facti
qua^stio est . Et hic rursus , Christiana doctrina , mora-
lis philosophia , & iurisprudētia , imprimis necessariæ
sunt . Nam quod pium , quod rationi , quod iuri con-
sentaneum , rectum sive laudabile . utile vel necessariū
dicimus , ex eorum scientiarum locis & latiore expli-
catione doceri & demonstrari potest . Argumentum
verò est secundum Ciceronem , ratio qua^s rei dubia si
dem facit . Vel probabile inuentum ad faciendam fi-
dem .

Loci argumentorum vocantur , ab Aristotele , hæ
quasi sedes , in quibus argumenta inclusa sunt . Est ita-
que locus , argumenti sedes .

Locorum partim proprij , partim communes sive
generales sunt . Proprij rursum duplices . Est enim ora-
tori duplex ad argumentandum subiecta materia : Una
eorum rerū , quæ non excogitantur ab oratore , sed in-
sunt causæ , & ex ipsa natura & vi rei sumuntur . Altera
qua^s tota in argumentatione & inuentione oratoris
consistit , & asseruntur foris . Ex ipsis rei natura & vi
sumitur : Cum aut res qua^s sit tota queritur . Aut pars
eius : Aut vocabulum sive nomen rei : Aut quipiam ,
rem illam quod attingat .

Extrinsicus autem sumitur . Cum ea qua^s sunt foris ,
neque inherent in rei natura , & non sua vi subleuan-
tur sed extranea , colliguntur .

In re ipsa sive eo de quo agitur , hærentes loci pro-
prij sunt . Definitio , Partitio , Diuisio , vocabuli Inter-
pretatio , Consideratio naturæ totius , & partium &
specierum & coniuctorum , earumque rerum qua^s
quodammodo affectæ sunt ad id de quo queritur . Ita
que res ipsa , suppeditat argumenta ex definitione , ex
etymologia & vi verbi , ex partitione , diuisione , distin-
ctione , natura , genere , forma , similitudine , differen-
tia , contrario , ex adiunctis , cōsentaneis , præsentibus ,
antecedentibus , consequentibus , repugnabiliis , cau-
sis , ori-

sis, origine, effectis, euentis, exemplis, ex comparatione eorum, quae vel numero, vel specie, vel causa efficiet, vel effectu, utilitate, dignitate, maiora vel minoria vel paria sunt. Item ex coniugatis, quae sunt ex verbis eiusdem generis. Item ex circumstantiis omnibus. Ut ex nominis ratione. Hic consul dici non potest. Consul enim est qui consulit patriæ. Item in generis quæstione, si omnes eius partes, sive species enumeraundo, ex eorum consideratione vim & naturam generis colligimus. Item ex genere. Ut. Quid aliud de coexistimemus, cuius pater, auus & fratres sceleratissimi omnes fuerunt. Item ex natura & præcurrentibus. Ut. Non quia enim defendisti, bonum te ciuem isti putabunt. Simulasse, & aliud quæsisse existimabunt: ex tuis istis moribus, factis, dictis: ex tua natura, quæ nuanrum rerum cupida, semper otij impatiens fuit atq; omni bono inimica. Ex coniugatis. Ut si sapientis est ergo sapienter fecit. Reliquorū omnium exempla ex topicis Ciceronis sumi possunt vel à præceptoribus adiungenda sunt.

Fotis autem qui assumuntur loci sunt. Autoritas, Testimonia, Judicia, Sententiae latæ. Proverbia, Dicta sapientum, Fama, Contingentia.

Testimoniorum duo genera sunt. Ut Cicero docet. Humanum scilicet & diuinum.

Humanum. Sumitur à persona eiusque voluntate, vel oratione libera aut expressa. In quo quidē insunt. Scripta, pacta, promissa, iurata, quæ sita sive quæstione & tormentis expressa. In oratione autem libera & iurata, personæ requiriuntur autoritas, naturæ sinceritas & præstantia, opinione virtutis, vel tempore constituta.

Sumitur etiam ab aliis rebus & circumstantiis. Ut ab experientia, perturbationibus animi, vinolentia, pueritia, somno, aliisque omnibus, ex quibus astutæ, callidæ, ex insidiis, veritas indagari vel aliqua suspicio

moueri potest. Diuinum complectitur oracula, prophetias, sacram scripturam, opera divina, ordinem & naturam vniuersi, & quæ in ea consideranda sunt. Itē (ut Cicero & ethnici philosophi referunt) auguria, aereos volatus, auium cantus, portenta, loania.

Loci communes sunt: Genus quodque generalissimum sive prima & extrema ratio, ex qua plura rerum genera, doctrinæ, cause & rationes singulares fundatæ sunt. Item præcipua capita in quoquis doctrinæ genere, summam rei, omniumque partium sive specierum fundamentum & rationem finalēm continētia. Vt virtus, eiusque fons sive ratio præcipua, & causa intentioque finalis, plures rationes & virtutis species complectitur. Sic vitij ratio plura genera comprehendit: Et quodlibet genus, vna generali intentione, plures species.

Est igitur horum locorum usus utilissimus ad probandum & exaggerandum: ex ipta viminum vi rationis, & fundamenti finisque explicatione.

Vsurpantur autē duobus modis: Aut enim tota disputatione simpliciter, directè & aperiè ex illis fit, in quibus thesis versatur. Aut obiter tantum tanguntur. Cū ad eos tanquam ad genus & primum fontem alluditur. Quod quidem rhetores vocare solent transferre hypothesis ad thesin. Definitam scilicet & singularem questionem, detracta forma speciali, ad infinitā generalem.

Est enim Thesis. Questio generalis sive infinita, nullis neque personis neque temporibus notata, nullisque circunstantiis circumscripita. Vt. Sitne Christiano licitum belligerari.

Hypothesis autem. Quæ definita, certis personis, temporibus, actionibus negotiisque cernitur. Et rationem habet præcisam. Vt. Sitne Christiano licitum belligerari contra Turcam. Item pro religione, pro aris fociisque.

Infiniti

Infiniti autem generis quæstiones sive ad cognoscendum sive ad agendum pertinentes, vocat Cicero, consultationes. Finiti autem, causas & controverbias. Hasque triplices facit Laudationis scilicet una: Quæ exhortationem Et deliberationis atque iudiciorum. Quas disceptationes appellat: Et commendatione vel affectibus agi dicit.

Sunt itaque hi argumentorum loci in promptu semper habendi, & rationes rerum penitus pernoscendæ. His vero omnibus in mente defixis, & in omni re ad dicendum posita excitatis, reliqua, cogitatione & cura, erueda sunt. Et ad haec, si orator etiam assequatur ea, quæ tractationis sunt: ut talis videatur, qualem se visceri vult: animosque ita afficiat. Ut eos quocunq; velet vel trahere, vel ducere, vel rapere possit. Nihil certè est requirendum præterea. Nam ex locorum quidem & rationum cognitione, & consideratione diligentia fundari, disputari, doceri, probari & impugnari possunt omnia. Et quæ certa, perspicua & manifesta, tamen ex his ipsis ornantur, amplificantur & expoliuntur. Adhibita autem affectuum etiæ & tractationis ratione: Quod reliquū est, quo modo potissimè & quæ dicendi subtilitate argumentandū sit, cognosci & percipi potest. Ut scilicet argumentatio fiat, maximè commoda & ad causam, personas omnesque circumstantias accommodata: Vel docendo & explicando dilucidè, solerter, acutè ad probandum, refellendum, fidemque documentis faciendam: Vel media quadam ratione, ex docendi & afficiendi sive mouendi vi assumenta, inducendo. Quod si vero etiam, reliqua omnia ita deficiant, ut quævis coloribus dicendi, agendi & argumentandi subtilitatibus, vel solis affectibus agendum sit: Maximè tamen rationum & locorum cognitione necessaria est, & materiam ad tractandum & afficiendum suppeditat.

Sunt autem varij argumentandi modi. Eorum vero

omnium duo omnino genera: Alterum ad fidem fa-
ciendam directò spectat. Alterum se inflectit ad mo-
tum.

Argumentatio est. Aptæ ex argumenti explicatio-
ne & conueniens conclusio.

Arguēntandi autem dicendi & agendi subtilit 
ates, hic partim in inuentionis & tractationis pr ceptis
explicatae sunt. Et reliqua omnes ex eorum cognitio-
ne, diligentia, port  prudentique iudicio erui & inue-
niri possunt. Nos tamen aliquando & breui (quod
nunc per occupationes minus licuit) latius etiam in
studior  gratiam, eas persequemur, & exemplis de-
monstrabimus. Nunc ver  ad locos modosque cuius-
que generis causarum proprios sigillatim describendos
pergendum est.

*De locis generis demonstratiu , & primum de ijs qu 
ad laudem personar m pertinent.*

H' loci sunt fortun  & nature bona. Generis scili-
cet, opum, pecuniae, amicorum, valetudinis, for-
m , virium, ingenij memorie, educationis, c terar -
que rerum qu  sunt aut corporis, aut extrane . Item
qui ea habuerit, bene vslum esse. Qui non habuerit, sa-
pienter caruisse. Quamuis enim qu  fortuna dat ve-
ram in se laudem n  habeant. Qu  nimirum vni vir-
tuti debet  putatur. Tam  quod ipsa virtus in earum
rerum vsu ac moderatione cernitur, etiam illa refer-
da sunt.

Item animi bona. Qu  sunt virtus, comitas, clem 
tia, iustitia, benignitas, fides, humanitas, fortitudo in
periculis, sapientia, magnitudo animi, constantia &
patientia in aduersis, vis ingenij in excogitando, clo-
quentia, doctrina.

Item res gestae in unaquaque virtute, quid sapien-
ter, quid liberaliter, fortiter, iuste, magnific , pi , gra-
te di-

tē dixerit aut fecerit. Tūlisse aduersa sapienter, nō frā
ctum esse fortuna. Retinuisse in rebus asperis dignita-
tem. Superasse ardua facile vel summo labore & con-
stanter. Item p̄m̄ia virtutis publicē decreta, habiti
honores, clarorum vitorum iudicij testimonia, pu-
blicē rerum gestarum comprobationes & applausus
omnium. Item Dei quodam manifesto iudicio videri
tantam felicitatem tributam esse. Item comparatio
cum viris illustribus & magnis.

Item vitę exitus (si res ferat) & opinio post mortē,
nominisque celebritas. Vituperatio contrariis ex vi-
tiis sumenda est.

Loci ex quibus factum, sive res quępiam laudatur
sunt. Honestum, vtile, necessarium forte. Item facile,
difficile, autoritas, exempla, commune iudicium, cau-
sa efficiens & finalis.

De modo locisque generis deliberationis.

S vadere aliquid vel dissuadere, est omnino grauissi-
ma personæ, vt inquit Cicero, Nam & sapientis est
explicare consilium suum maximis de rebus.

Et honesti & disertii: vt mente prouidere, autorita-
te probare, & oratione persuadere possit, in iudiciis,
in concionibus, in sententiis dicendis.

Modus autem & loci sunt, proponere vtilitatem
rei, dignitatem, honestatem, & maximē turpitudinis
suisationem Mala enim potius fugiunt homines, &
deuidant turpia, quam sequantur bona & honesta ex-
petant. Item possibilitatem, facilitatem, & si res feret
necessitatem. Item disputare de officio. Adferre exem-
pla, & cōsentanea, p̄s̄entia & cōsequentia. Omnia-
que consilij enumerare commoda, & incommoda cō-
traria: argumentando a personis & rebus earumque
circumstantiis in utramque partem. Ut cum consiliū
nostrum, dignum, vtile, iucundum, facile, tutum, lau-

dabile: Tū contrariū, in honestum & inutile ostēda-
mus, cōiectura etiam si fieri potest deprimendo. Ut
si quem ad mortem, fidei constancia vel virtutis amo-
re pro patria fortiter obēundam, ita adhortemur: Fc
elicissimum esse homini Christiano, vitam posthabe-
re saluti & gloria diuinæ, terrenaque hanc caducā
& miseram, cœlesti, æterna beatissimaque vita com-
mutare: pulchrum pro patria mortem oppetere, lau-
demque inde immortalem acquirere. Contra nihil
infelicius, nihil turpis, nihil indignius, præsertim
viro docto, qui alios semper de contemnenda morte
docuerit: quam abnegatione fidei, patriæ traditione,
salutis æternæ iactura, execrando dedecore, eam redi-
mere à vilissimo crudelissimoque tyranno. De cuius
etiam natura & moribus aliter existimari non possit,
quam nec post promissa fidemque datam seruaturū.
Et si potior nulla possit nec debeat esse ratio quam
virtutis salutisque æternæ.

Adhibenda autem semper est tractationis energia.
Nam & præcipua quæque subinde exaggrada, & af-
fectus admiscendi sunt: de quibus sequenti libro di-
cetur.

In utilitate sunt, commoda pacis, opum, potentiae,
& cæteræ res quarum fructum utilitate metimur. Ex
quibus quæ causæ conuenient eligenda sunt.

In dignitate sunt, quæcumque honesta, & ex virtu-
te oriuntur, & ad eam impellunt. Ut exempla glorio-
sa, posteritatis gloria immortalis. Item defendere, vi-
litudinem ex laude nasci: eamque semper esse cum di-
gnitate coniunctam. Neque quicquam esse honestū
quod idem non sit utile.

Reliqui generales atque speciales loci, rationis iu-
dicio querendi sunt.

Maximè autem natura eorum, cū quibus delibera-
mus, cognoscenda est. Ut quod ipsa appetere videtur,
ad id accommodetur oratio. Nam cū hominū dno
fere

ferè genera sint: Alterum indoctum, agreste, quod anteferat semper vilitatem honestati. Alterū expositū, quod rebus omnibus honestatem anteponat. Huic igitur honor, gloria, fides, iustitia, omnilque virtus: illi autem alteri quæstus, emolumentum, fructusq; atque etiam voluptas proponenda est.

De modo locisque generis Didascalie.

Modus est viam & ordinem docendi locosq; maxime idoneos petere ex Dialetica.

Loci ex quibus simplex quæstio doceri commodè & explicari potest, sunt.

Definitio, & interpretatio nominis, etymologiam, vim & naturam rei lumenatim ostendens.

Item Quæ partes rei sive species.

Quæ causæ.

Qui effectus.

Quæ adiacentia, coniuncta contraria.

Et quicunque alij ad rei naturam, conditionem & virtutem explicandam pertinent.

Loci coniunctæ quæstionis sunt,

A definitione,

A causis,

Ab effectu.

A partibus sive speciebus.

Ab officio & natura rei.

Ab exemplis.

A similitudine, à contrario.

Et alij similes ad explicandum & probandum ex Dialetica petendi.

Exemplum sit Doctrina decet principem.

Probandum est à definitione doctrinæ & principis, ab effectu doctrinæ, ab officio principis, ab exemplis, & comparatione, à ratione naturali & similibus.

Quæ omnia ornari & copiosè disputari & tractari

De modis locisque generis iudicialis.

CVM tota causa generis iudicialis, sua quidem natura, præcipue pendeat à confirmatione & confirmatione siue defensione. Maximè querendi & inueniendi suntistarum partium loci & modi.

De locis confirmationis in statu coniecturali.

DVO sunt huius ad coniecturam loci. Voluntas scilicet & facultas. Quia nimis quæritur an factū sit. Quarum illa duas habet species: impulsionem & ratiocinationem. Hęc signa cōtinet & circumstantias.

Impulsio ostendit affectus vehementiores. Quales ira, odium, dolor ex magna quadam contumelia & similes. Ut Milonem pessimè oderat Clodius. Ergo voluntatem habuit occidendi, & prior vim fecit.

Ratiocinatio argumentatur ab affectu aliquo minore, ut a spe alicuius cōmodi consequendi, vel a meatu & incommodo evitando. Ut Carboni improbo cui proderat Publij Africani honestissimi & sapientissimi viri interitus. Ergo verisimile est Carbonem ipsi vim attulisse. Item hic sem per inhauit eius loco. Ergo non sine causa existimari potest effinxisse calumniam, qua eum opprimeret deturbaretque.

Signa sunt. Quæ cuique obvia, communi sensu percipiuntur, in causa vel in facto existentia. Suntque duplia: Antecedentia scilicet: ut exacuerat entem, preparauerat arma. Et consequentia. Ut fugit, expalluit metu & perturbatione. Erubuit pudore, lalua ies est, vt inquit Terentius.

De circumstantiis aliis omniaibus dictum est que-

sunt.

QVINQUE OMNINO MODI SUNT CONFUTANDI & DEFENDENDI PRÆCIPUI. QUARUM TRES VITIUM IN MATERIA VEL FORMA ARGUMENTATIONIS OSTENDUNT. PRIMUS EST INFICIATIO. CUM NEGAMUS EA QUÆ OBVIANTUR ARGUMENTA, & SYLLOGISMUS SIVE ARGUMENTATIONIS MAIORE VEL MINOREM PROPOSITIONEM FALSAM DICIMUS: PRÆSERTIM RATIONES ETIAM ADFERENDO QUÆ PROBABLEM, SIVE VERISIMILM REDDUNT INFICIATIONEM.

SECUNDUS EST DISTINCTIO. CUM ARGUMÉTA VEL AMBIGUA VEL OBSCURA & GENERALIA DISTINGUENDO & EXPLICÁDO DISSOLUIMUS. QUOD SI AUTEM EXPLICATIO DIFFICILIOR EST, VEL EXEMPLUM ALIQUO ADDUCENDO (SI FIERI POTEST) STATIM SUCCURRENTUM EST. VT SI QUI GRÆCOS OMNES LENES DICAT, REDARGUI STATIM & FACILE POTERIT EXEMPLUM SOCRATIS, ARISTIDIS, PLATONIS, RATIONIS EXPLICATIONE NON ITEM.

TERTIIUS EST, REPRÆHENSIO CONSEQUENTIÆ. CUM VITIUM IN FORMA ARGUMENTATIONIS OSTENDIMUS, NEQUE COCLUSIONEM RECTÈ SEQUI, IDEOQUE TOTUM ARGUMENTUM REUICIENDUM ESSE.

QUARTUS EST INVERSIO. CUM SIGNUM VEL LOCUM, EX QUO CONTRA NOS ARGUMÉTA DUCUNTUR, PRO NOBIS FACERE DEMONSTRAMUS. VT SEPELIJ INTERFECTUM FATEOR. ID VERDÌ IPSUM INDICIO EST, ME NON OCCIDISSÈ, FUGISSEM ENIM POTIUS.

QUINTUS. CUM ALITER INTERPRETAMUR. VT SEPELIJ QUI DEM, SED MISERICORDIA & PIETATE MOTUS YT TOBIAS, ABSOLUTIONEM VOCANT.

De locis confirmationis & confutationis
in statu iurisdictionis.

LOCI HUIUS STATUS SUNT RATIO, ETIQUUM & BONUM, IUS NATURÆ, IUS GENTIUM, IUS CIUILE, IUS MUNICIPALE, CÓ-

De modo defensionis in hoc statu.

Modus hic, præter iuris & confutationis disputationem, peculiariter tria ad evadendum continent, cum reus nō negat qualitatem facti. Purgationē scilicet, qua facti culpam excusat, referendo in errorem, in affectum aliquem non omnino iniustum, & & ab omni voluntatis acerbitate & dolo quam maximè segregando. Ut imprudens feci non animo lædendi, summa iniuria & contumelia provocatus, dolore & ira iustissima percitus.

Item translationem criminis, qua culpa, in alios confertur sive in res, quæ facti acerbitatem animi & malitiam extenuant, & mitigationis clementiæque quandam rationem secum adferunt. Ut iussit dominus, persuasit magister, amicus, amor, vinum, adolescentia.

Item deprecationem. Quæ neque defendit, neque excusat, sed clemetiam misericordiamque implorat. Ad quam impetrandam valet arta, peritonæ dignitas, doctrina, modestè recteque semper acta vita, maiorū præclara memoria, merita in rem publicam, item rationes captandæ benevolentia omnes, & si quæ duci possunt a persona iudicis, a loco & tempore. Ut si hoc ipso loco & tempore inaugaratus sit Princeps, si eodem die natus sit. Et ciusmodi aliæ diligenter querendæ.

*De modo locisque confirmationis & refutationis
in legitimo statu definitissimo.*

Modus hic est locos Dialecticos perquirere ad definitioem & explicationem rei pertinetes. Vi genus, causas, partes, affectus, species, differentia, contraria, autoritatem, omniaque diligenter colligere,

ex

**ex quibus vera maximè & exquisita definitio inueni-
ti & probari possit.**

*De modo confirmandi & confutandi proposita,
item dissoluenda controversiam in statu
contrariarum legum.*

Modus hic est examinare causam legum efficientē & finalem, rationem & circumstantias omnes, quibus latet sunt. Atque omni consideratione mentē legislatoris indagare. Continet autem quinq; ad dissoluendum, regulas.

Quod lex inferior cedit superiori.

Specialis derogat generali.

Consuetudo iuri scripto, Municipale ius, iuri ciui- li. Vetus siue prior lex antiquatur, corrigitur vel abrogatur noua vel posteriore.

De modo status legales ex scripto & sententia.

Ad hunc modum pertinet: Definitio ad elucidanda obscura. Et diuisio ad discernenda ambigua. Et reliqui omnes loci ad explicandum recteque iudicandum ex Dialectica sumendi. Ut cause, effectus, circunstantiae & similes.

De modo locisque in statu ambigui.

Modus hic tres præcipuos locos habet inspiciendos. rationem scilicet Grammaticam. Si quid forte inueniri possit ex ipsa phrasí regulisque & variis loquendi figuris.

Item ipsius doctrinæ ex qua ambiguum procedit intentionem, ex causa scilicet & fine aliusque locis examinandam. Et mentem autoris omni diligentia & considerationis prudentia ex quibuscunque locis investigandam.

SVmuntur ratiocinationes sive argumētationes ad congruam similitudinē demonstrandam, ex locis Dialecticis, à causis, à toto à genere, speciebus & partibus. Item ex locis communib[us], rationem scilicet generalem altius ex ipso fonte deducendo. quo maxime confirmatur similitudo.

De modo statutus translationis.

Modus est, circunspicere diligenter, an exceptio aliqua autē decidenda opponi, & vel ex ipsa causa eiusque circumstantiis, vel ex ipsa actoris persona, vel extrinsecus sive foris & ex transuerso aliquid inueniri possit. quo iudicium extrahatur vel confundatur, & obruatur, antequam actor in possessionem suæ causæ veniat. Vel etiam possitne causa, lepore, aliquo, sive aliqua diuersa interpretatione eludi & disoluī.

De epistolarum generibus eorumque locis.

IN epistolis conscribendis eo quisque est præstātor, quo ingeniosior doctiorque: vt plura excogitare, inuenire, & prudēter considerare possit. Omnis enim vt dicendi sic & scribendi vis & ratio in ipsa sapientia & multa rerum cognitione sita est. Cūm vero natura humana misera quadam conditione, rem quamvis ut optima est, ita longissimè à conspectu nostro recensile appareat: ideoque & sapientiam rerumque rationes intimas longius ab intellectu nostro remotas minusque obuias, labore & diligentia percipiendas & ex ipsa intelligentia & cognitionis indefinita natura evadendas esse. Utile igitur est studiosorum adiuuare ingenia, atque ea proponere, qua & reminiscētiā Platonica in iis excitent, sive iudicij facultatem discussi corporis tenebris sumisque aperiant illustrantque

& rationem modumque plura inueniendi common-
strent.

Sunt autem ut causarum ita epistolarum plura ge-
nera. Quorum partim ad cognoscendi vim & naturā
spectant, partim ad agendi, partim medio quodam
modo & extraordinario se habent. Namq; deliberatiū
quidem generis sunt, petitoria, monitoria, exhortato-
ria item conciliatoria, commendatīa, amatoria, &
consolatoria, iudiciale generis, expostulatoria, expro-
bratoria, inuectiva, deprecatoria. Sic quædam sunt
didascalicæ, quædam demonstratiæ, quædam mixti
generis & extraordīnariæ. Ut disputatoria inter eru-
ditos, visitata, item nunciatoria, dedicatoria, iocosa, i-
tem ea qua gratias agimus, & officiosa qua (id quod
amicitiae proprium est officium) vltro amicis operam
nostram offerimus & ad petendū inuitamus, item
gratulatoria, & deploratoria,

Quæ omnes ex arte dicendi eiusque locis commo-
dè conscribi possunt: modò illud imprimis memoria
teneatur, longè aliam esse rationem scribendi ad v-
num quam dicendi apud plures: item breuiorem o-
ratione epistolam magisque vulgarem, & plerunque
fere familiarem non tantum requirere apparatum:
ideoque locos præcipuos & maximè efficaces adhi-
bendos esse.

In omnibus autem, siue ad docēdum instituuntur,
siue ad impetrādum, siue ad conciliandum, commo-
vendum, vel quocunque modo afficiendum hæc se-
dulò querenda & spectanda sunt.

Primum quid iplius argumenti & personarum, té-
poris, loci, honestatis & officij ratio postulet exigat-
que.

Deinde si quid præterea boni ea scriptione fieri
possit, feratque ratio, quæ in rem & utilitatem vel scri-
bentis, vel accipientis, recte, lapienter & non ineptæ
accommodeati possint. Tertiò aqua ad p. chritudinæ

ornatum delectationem commodè tanquam parerga adiungi posse videantur. Quartò vt totius materię præcipua capita cogitatione primum concipientur, quæ deinde intra debitos epistolæ fines limitesque complenda sint.

Quod si autem fuerit rerum cognitione exercitatum scribentis iudicium, & sapientia studio exultū, modumque saltem aliquem & formam scribenti, vel ex solo Cicerone perecerit, per se reliqua omnia ad varietatem, elegantiam & stylī industria pertinencia consequi poterit. Nos hic præcipua quedam genera & in his iursum eos locos obiter attingemus qui utilissimi vīsi sunt, & præ ceteris idonei ad vim totaque conscribendæ epistolæ rationem quam maximè & citissimè percipiendam.

De epistola peritoria.

Quartuor hic præcipue obseruanda esse docet Virgilius in illa petitione Iunonis ad ætolum. Primum vt id quod ab aliquo petimus, ostendamus in eius potestate esse. Quo tamen ipso exprimendo supercedens potest si notius est.

Deinde (quia omnia ad honesti normam referenda sunt) vt doceamus æquum, iustum, minimè in honestum esse.

Tertiò (siquidem in agendo res petita versatur, & consilij explicacionem admittit) vt modum & rationem faciendi commōstremus. Postremò vt animi nostri gratitudinem declaremus ac remunerationem promittamus.

Duplex verò est petendi ratio: una aperte, altera recte, oblique, per ambages & insinuationem fit.

Vbiq[ue]nque autem res exigit, energia rhetorica & rationes idoneas, & maximè efficaces ex ceteris omnibus

nibus deliberatiū generis locis adhibendae sunt: extenuanda verda diluenda, confutanda, quæ petitioni incommoda siue contraria videbuntur.

De monitoria.

IN admonendo ut etiam in exhortando debet esse grauitas. Sed quia nemo virtus sua libet audit: quidam etiam nullam omnino admonitionem vel exhortationem ferant. Est igitur aperte quidem admonendum, si ea est personarum cōditio. Alioquin tectius dissimulanter & artificio quodam vel laudem admiscendo: vel eas virtutes ei tribuendo, quæ minime in eo sunt. Item referendo admonitionem nostram in amitis & benevolentia abundantiam, quæ non potuerit dissimulare vel tacere, ea præsertim, que ipse fortassis affectu aliquo impeditus minus cogitet, nos autem etate, multo vnu vel magno nostro malo didicimus: Item petendo ut pari in nos libertate vitetur: Et ostendendo tandem per ipsius parentes (si fuerant clariores) per cognatos propinquos, amicos per nostrum amorem: per deum immortalem ut & virtus ponere velit, quæ intolem suam alioqui clarissimam quasi nebula quadam obducta obscurant, & virtutem amplectendo conetur præstantis sui ingenij lumen ostendere. Adferenda etiam sunt rationes, quæ virtutum eorum turpidinem & incommoda ad viuum resecant, & virtutis præstantiam dilucidè maximeque exprimant.

Quod si quando obiurgandi locus incidat: verborum quidem maiore contentione & actiore grauitate agendum est: verum ita tamen, ut facere videamur inuiti, & non irati & si quid inest acerbitalis, ut ipsius causa significetur suscepimus esse.

De exhortatoria.

Exhortatio etiam ut diximus artificiosè nonnunquam dissimulanda vel lenienda est: prætexendo aliquid prudenter, vel (quod plurimum valet) ipsius

quem adhortamur prudentiam exollendo. Ut etiam
mitemur, & nescire dicamus quo pacto deflexerit sty-
lus ad eum adhortandum, cuius virtus & præstantia
animi, nulla exhortatione egat.

De locis exhortatory generis.

Exhortatio sumitur: A laude personarum & rerum.
Quæ tamen in personis quidem, ita prudenter &
moderata tractada est, ne in adulationem hue ascen-
tationem transire, & ex Parasitorum officina prodire
videatur.

Item a spe commodorum, & metu incommodoru-
morumque inter se comparatione.

Item a digno & indigno, votis amicorum itē ini-
micorum. & a quadam etiam commiseratione eorū,
qui labore, studio & virtute eius quē incitāmus, tue-
di & sustentandi sunt.

Item à gloria & æmulatione, Ad laudem scilicet, di-
ligentiam honestamque & generosam emulationem
excitando: ne posteriores ferat, ne superetur a pari-
bus & inferioribus, verum ad supremos gradus con-
tedat, eosque consecetur, qui, dum ipse quiescit eu-
larunt, & ingenio minus cum possent, diligentia, la-
bore, tempore & quadam etiam fortuna consecuti
sunt, quod ipse ingenij felicitate, & præstantia virtu-
tis, multò facilius vberiusque consequi potuisset. co-
gitet verò etiam summam esse gloriam in superan-
dis arduis: & ab una parte laudem, amicorum gratu-
lationem, & inimicorum dolorem sibi proponat, ab
altera summum dedecus, maleuolorum & inuidorū
exultationem cum amicorum omnium summatristi-
tia coniunctam. Admonere hic operè preium est, co-
rum quos ad imitandum proponimus. laudem & glo-
riam moderatione adhibita, & vel comminiscenda
ratione

ratione aliqua, intra generosè cuiusdam spei limites
continendam esse: eius verò quem exhortamur, ani-
mum semper erigendum alacioremque reddendum,
& spem esse accendendam maximè Nescilicet despe-
ratione præterbetur, animiq; ardor dissoluatur omnis.

Item ab expectatione publica, & priuata: ciuium,
amicorum, doctorum bonorumque omnium, item
inimicorum, eos omnes nominatim referendo, quo-
rum vel autoritate, vel benevolentia, vel odio maxi-
mè commoneatur. Hęc autem expectatio, quo faci-
lius recipiatur, eique acquiescat rationis discursus,
vestienda est argumento aliquo verisimili sumendo
vel ab indole, vel a studiis: ab educatione a præcepto-
re, a dictis factisque, à generis claritate & virtute hæ-
reditaria, ab astrologorum prædictionibus, vaticiniis
somiis & eiusmodi aliis rebus.

Item ab exemplis sumitur adhortatio: externis &
domesticis, iisque vel similibus, vel contrariis. Vitio-
rum enim figuris ad honesti amorem non minus ex-
citamus, quam virtutis pulchritudine allucimur,

Item ab iis quae ab inanimatorum natura, à brutis
animalibus, ab historiis & fabulis, à Prophetarum al-
legoriis, adiuncta semper interpretatione duci pos-
sunt. Quibus omnibus tandem obtestatio neruosa a-
dhiberi potest.

Ex his igitur iij adhibédi sunt loci qui causæ & per-
sonæ maximè conueniunt, & sàpet tangenda quæ ad
mouendum facere videntur.

De conciliatoria,

IN hac exponendæ sunt causæ probabilitatione. ve.
stitæ cur eius amicitiam ambiamus. Quæ quidem à
communib; studiis, amicis, communī officio, fama
virtutis, parentum familiaritate, cognatione, affini-

tate, patria & ab eiusmodi aliis rebus honestis ducenda sunt, quae ingenuum quendam affectum ostendunt. Deinde licet si quid est in nobis, ad conciliandum, idoneum, id modestè circa arrogantiam referre: sperare etiam & optare occasionem aliquam, ut animum nostrum ipsi propensissimum probare possimus: non dubitare vero, cum tanta eius sit humanitas, quin eum libenter velit in amicorum suorum numerum venire, quem virtute sua meritò suspicienda iamdudum deuinctum tenet: idque ne nos fallat vehementer pertere.

De commendatissa.

IN commendando illud quidem Horati carmen ante oculos semper habendum est. Ne mox incuriant aliena tibi peccata pudorem. Colligemus autem rationes ab honestate & utilitate, a personæ dignitate meritis probitate & innocentia, ab eius spe & optima semper existimatione de illo cui commedatur. Deinde ipsius memorē gratumque ostendemus: & nō nos modo sed plurimos alios probos doctosque omnes eam quamcūque in eum contulerit gratiam sive benignitatem, communem existimaturos, mutuamque operam & studium offerre.

Fir autem commendatio vel apertè & ratione seria, si quem alterius amicitia dignum iudicamus: vel faciliis hilaritatem quandam excitando: vel oblique & per insinuationem. Quarum exempla plurima sūpeditat Cicero.

De amatoria Proci epistola.

HÆc cū rationes ad persuadendum idoneas, tum afficiendi energiam & artificium rhetoricum requirit maximè. Et imprimis quidem negotij totius funda-

fundamentum constituendum, siue ipse amor ratio-
ne omnino verisimili, ex natura puellæ, corporis sci-
licet vel animi bonis sumenda fundandus est, eiusque
initium describendum.

Inter omnes autem præcipui eius loci sunt Laus:
Comiseratio siue ea quæ ad commiserationem in-
ducendam propria sunt: & Amoris exaggeratio à ma-
gnitudine, sinceritate & constantia: item fructus eius
& commodorum multæque felicitatis promissio.
Laude enim delectantur puellarum animi, & mollio-
res sunt, & amari gaudent promissisque capiuntur si-
ue mouentur.

Ad laudem pertinent, forma, pulchritudo, venu-
stas, mores, facundia, prudētia, industria, humanitas,
& si quid aliud est in natura egregium laudeque di-
gnum.

Omnia autem eo affectu, ea prudentia sine ullo su-
co puerili, exprimenda, iisque rationibus vestienda
sunt. Ut quammaxime vera, minime quæsita, sed ex
intimis visceribus deprompta appateant. Omnia e-
tiam signa, quibus in hoc negotio agendum est, quâ-
to magis dissimulanter interdum, & quasi obiter at-
que aliud agendo exhibentur: ut à natura profici &
aliquando tanquam vi quadam crumpere videantur,
tanto efficaciora sunt.

Prodest etiam Proco, bonorum suorum animi &
fortunæ (quorum illa sit domina futura) quædam cō-
memoratio: modo prudenter fiat sine ostentatione
atque ea moderatione: ut appareat ea omnia ipsum,
quatumuis magna, meritis ipsius puellæ, & ipso etiā
amore suo incomparabili inferiora iudicare. Omnes
denique ad mouendum loci consulendi sunt: naturæ
sensitiæ quidem maxime, si mollior est puella: ra-
tionalis vero media, si sapientior. Sed satis ad hanc
materiam suppeditat historia Amadisi & eiusmodiæ
liæ à prudentissimis viris confitæ.

De expostularioria.

Expostulatio est inter amicos si contra amicitiam fecerint, vel si eorum officium in aliqua re magna desideratur.

Videndum autem ne asperior amicitiam magis laetatur. Ideoque mitiganda est aliquando laude, facetiis, dissimulatione, admiratione, & factum quam maximum ab ipsorum voluntate segregando, culpamque in alios vel in causas aliquo modo excusabiles referendo. Deinde nostra benevolentia & indelebilis voluntatis erga ipsos affectum declarando, & amicitiae officium eiusque commoda explicando, & exempla proponendo, ad amicitiae constantiam adhortandi omnibusque modis retinendi vel leniter castigati reuocandi sunt.

Ad purgandum, omnes rationes a retum & personarum circumstantiis, diligenter colligendae sunt, quæ concepiam opinionem minuere factumque ipsum in meliorem partem verttere, & suspicionem leuare posse videntur. item illa artificiosa adiungenda: Nihil nostra ex postulatione offendit, sed lætari potius, datum esse occasionem, eiusmodi inuidorum segmenta, omnineque sinistram interpretationem diluendi: nostrum quidem animum in amicitia constarem & sincerum fuisse & futurum semper nolle nos hoc loco queri cum ipso & expostulare, dolere autem plurimum quod malevolentum sermonibus temere crediderit, & petere, pro amicissima nostra voluntate, ut ne quid posthac de nobis existimet credatque nisi vero amico dignum illaque studiis & doctrina cui a pueritia dediti fuimus, & huiusmodi alia.

De exprobratoria.

Hæc ad amicum ingratum, nostra quam plurimæ fuerint in ipsum beneficia, quam constans amicitia, commemorat: eiusque quanta semper in nos ingratitudo, ipsummet & conscientiam suam teste cirando: caq; exaggerat: & admiscetur tamen si cōmodū videtur, quibus ad amicitiam & officium reuocari possit.

De

De invectione.

IN hac omnia colliguntur acerba, & exagerantur
maxime, frequens adest ironia, & adhiberi debet e-
nergia rhetorica. Est autem prudentis viri, modestiae
suæ aliqua signa dare, & quasi summa inimici impro-
bitate coactum, & necessitate quadam, cò progressum
videri. Quod ipsum quoq; aduersarij naturam magis
inuisam reddit

In respondendo autem mirum quoddam & vix per-
ceptibile artificium ex intima eloquentia prudentia
depromi potest, quo, seruata grauitate nostra, adhibi-
tisq; non minori pôdere inuestiis, ipsum tamen ini-
mici virus & acerbitudinem nonnihil permulceamus.

Admonendus etiam est ut sibi posthac temperet,
desinatque maledicere ne & nos modestiae fines coa-
cti transcamus.

De deprecatoris.

Hic ingenua facti confessio requiritur, eique tamē
rursus (si fieri potest) quædam vel quæsita excusa-
tio, siue culpæ extenuatio adiungi debet.

Laudanda verò eius quem imploramus clemen-
tia, promittenda emendatio, & perpetua eius benefi-
cij memoria.

De epistola dedicatoria.

Dedicatoria quæ & nuncupatoria dicitur, est qua
alicui labores nostros vel rem aliquam inscribi-
mus. Hanc nonnulli breviorem esse volunt. Quorum
equidem quænam ratio sit, excogitare & satis intelli-
gere nequoc: opinor tamen, vt ne fastidium legendi
pariat prolixitas neue lectorem ad ipsius operis in-
spectionem properantem demoretur diutius: & ne
zviroi plura ipse scribat de te dedicata, quæ aliorum
iudicio relinquenda est. Ego verò vt breuitatem, eam
quidem quæ paucis multa eaque omnia præclara, a-
cute, aptè satisque tamen dilucidè exponit, & scitè
eum quodam subtilis ingenij splendorè ad materiam

accedens, ita cerebra est retum frequentia, ut verba-
rum numerum sententiarum numero sècè conve-
nientur, non improbo: ita longitudinem quæ non excedit
modum neque debitos epistolæ fines, eamque mini-
mè inanem sed prudentem, ornatam, venustam, cō-
modam non laudare non possum. Et quamvis illa sen-
sus plenitudine quasi exundantem, & quadam vitiili-
docta & matura grauitate, vel acuta concinnitate flo-
rentem, magni & præclari ingenij esse statuam, tamē
hanc minimè posthabendam existimo: præsertim
quod non eadem placeant omnibus. Sed cum omnia
illa breuitatis præclara, & multa alia longiori inesse
posse cōsidero: (cū pluribus plura sine dubio cōpræ-
di & effici possint) longè hanc illi præstare, cōque no-
mine praferendam esse iudico. Quemadmodum ne-
mo non fateatur eam esse excellentiorem pretiosio-
remque tabulam in qua non unum modo præcellens
picturæ opus: siue velum illud mirabile, siue aues de-
ceptæ, sed plura eiusmodi contineantur.

Porrò in hoc scribendi genere hæc ferè obseruan-
da sunt, præter illa generalia quæ omnibus in episto-
lis consideranda & ex ipsa ratione sumenda esse dixi-
mus, scopus enim huius est: primum ut illud quid sit
quod offertur, vel summam operis & intentionem bre-
uiter explicemus: Addendaque causa cur confectum
sit non nostram industrias, sed utilitatem operis at-
que ipsum argumentum commendemus. Sperare ta-
men licet gratiam fore operam, neque iniucundam,
quæ vel in gratiam accipientis, vel ad publicam om-
nium utilitatem suscepta est. Præterea subiectanda
est vel præmittenda causa & ratio dedicationis. Cu-
ius quidem varij loci sunt: Ab amicitia, cognatione,
propensione quadam naturæ, à virtute, eruditione, iu-
dicij præstantia, studiorum similitudine, à fama, & re-
latu aliorum, à meritis, beneficiis, gratitudine, & ab
officio.

Vltimo

Ultimo loco ut beneuolo animo accipiatur per edū
est. Quæ (siquide quæ ad ea pertinent quæq; decent
& prudenter neque in cōmodè adiungi possunt quæ
retur omnia) multiplicem stylī varietatem requirut,
nunc grauitatem, nunc explicacionem latiorem, nuc
minorem, nunc disputationem aliquam & confuta
tionem, nunc acumen, nunc facilitatem, ideoq; nunc
breuiorem, nunc prolixiorē epistola m. Quamob
rem qui nulla adhibita distinctione, breuitatem in
differenter præcipiunt: ne illi nec rationem nec sco
pum & usum epistolæ hand satis perpendunt, & occa
sionem commodam: vel alliciendi animos, vel exci
tandi ad virtutem, vel erudiendi & teru varietate ob
iectandi, vel etiam amicitiam confirmandi, vel virtus
tis, probitatis, doctrinæ, ingenij existimationem con
stituendi, aliaque plurima utilia & egregia rhetorico
artificio, vel aperte vel obliquè efficiendi: neque con
siderant aliam esse rationem scribendi ad senem, ad
prudentem doctum & seueriores: aliam ad iuuenē,
ad amicum, familiarem, ad æquales, qui & possunt di
scere, & cognoscere cupiunt & varietate delectatur, ne
que suavitate longioris epistolæ priuati nolint: immo
ne id quoq; vident, hic etiam, ut in oratione, iis adhi
bendis quæ vel delectationem aliquam, vel admiratio
nem & animi elevationem habent, fastidium om
ne tolli, & tantulam properantis moram deliniri, &
compelari posse. Quamuis in hac epistolæ vel sola fie
ri solet & quasi peculiare sit, ut animus eius cui inscri
pta est, erectus nouitate dedicationis & opinione do
ctrinæ, herensque in ea cogitatione, non modò non
auergetur fastidiarque condecetem prolixitatem, sed
cum admiratione amplectatur. Et multos hic lauda
re liceret doctos probatosque autores, qui in suis of
ferendis veteriore stylo prudenter usi sunt.

Sed de eiusmodi re non ad exempla recurrendū,
sed ad rationem ipsam referendum esse censco. Neq;

enim omnia conueniunt eque omnibus. neque omni-
ni tempore omnibusque in causis. Dissimulare tamē
non possum, etiam ornandi causa longius aliquando
excurrere, qui minus prosa liceat quam carmine. Vi-
demus enim clarissimos poetas, comparationes re-
bus intellectu facilissimis aliaque poetica ornamenta
vbiique diligenter adiungere, in exprimendis etiam i-
mitandisque adamassim omnibus sapè longiores es-
se, atque inter modernos quidem, quosdam (ut acu-
ti ingenij quasi scintillas quosdam exhibeant) nouis
inueniendis modis verbisque ita infudare ut non
veteres illis poetæ, sed vix tota lingua latina usitata
& inter doctos recepta sufficere posse videatur, adeo-
que ipsi à maiori eruditorum parte, non facile immo-
ne à poetis quidem omnibus intelligantur. Quod si
autem in scriptis quæ in publicum emittenda sunt,
quid maximè deceat, ex iudicio sive opinione & affe-
ctu hominū existimandū est: haud possunt, sanè eius-
modi omnia in furore ut vocant poetico cōscripta,
commoda satis aptaque videri, quæ, ut maximè sint
ingeniosa, tamen ad maiorē saltem doctorum homi-
num partem minimè accommodata, & intellectu diffi-
cilia idcoque sapè molesta sunt. Si verò, quod ratio
docet, ex ipsa natura & proprietate cuiusque artis si-
ue scriptoris, vel etiam ex natura eius cui scribitur,
quid conueniat, quærendum est: nulla certè causa vi-
debitur, cur prosam & hanc epistolam ornare, & ex-
polire minus liceat, quam poemata.

Est igitur hic, docta & ornata longitudo minimè
reprehendenda, sed illa tantum præcipienda: ne debi-
bitos iustosque epistolæ terminos transeat author: de
labore suo ipsoque opere parcus scribat, ne propriis
fordescat laudibus: vitet affectationem, inanum ver-
borum copiam, molestamque ingenij ostentationem:
& cùm considerauerit quod ipsum delectat non per-
inde oblectare alios, de cæteris omnibus ut scopum
epistolæ

epistolę & rationem ipsam sedulō & prudenter consulat.

In demonstratiō causarum & epistolarum gene-
re, sunt laudationes persoarum & rerum, descriptio-
nes locorum, urbium, aedificiorum, fluminis, mon-
tium, agrorum. In quibus omnia colligere conue-
nit quæ ad situm, celebritatem, verustatem, ad pul-
chritudinem & commoditatē pertinent: nota deni-
que forma omnibus suis partibus ita exprimenda est,
ut quasi depicta ante oculos videatur. Ad eiusmodi
autem descriptionum singularia omnia inuenienda
plurimum conferet methodus quædam describen-
di regiones &c. hoc anno, per Albertum Meierum
Strandi, iussu doctissimi herois Henrici Ranzouy ex-
dita.



LIBER SECUNDVS DE TRACTATIONE.



Bscutis quæ ad inuentionē pertinent, nūc ad posteriorem rhetoricae facultatis partem accedēdum est, ut quomodo inuenta dici debeant, videamus, in quo vis illa eloquentiæ mirabilis virtusque diuina cernitur. Neq; enim satis est reperi re quid dicas, nisi & iumentum tractare possis. Tantum autem hęc præstat ferè inuentioni, quantum ita corpori.

Est enim tractationis opus, & officium, ornatum motumque & energiam rhetoricam addere inueniens, & non modò generaliter in ipsa causa omnibusq; argumentis, sed etiam verbis sententiisque singulis, eloquendo & agendo rationem habere: vt omnia & singula, quo ad eius fieri potest, spirent victoriā siue intentionem oratoris, habeatque in se aliquid ad afficiendum, accommodum, vel saltem utilitatem minime vulgarem: atque pluribus coniunctis, causa, dictio, actio, & si fieri potest, personæ oratoris existimatio, afficiendi energia ita circunfluant, vt id quod propositum est perficiatur maximè.

Comit.

Complectitur autem, ut diximus, affectus rhetoricos eorumq; locos, elocutionem, dispositionem specialem, & actionem.

De affectibus rhetoriciis.

Affectus rhetoricus est ratio peractuta ad pertractādos mouendosque animos hominum, ex naturæordinibus desumpta, sensum aliquem verbis sententiis eorumue apta collocatione, siue voce & gestu, dicendo vel agendo ita exprimens, ut & affectum in se habeat eorum aliquem, quibus humana natura subiecta est, & vim in auditoribus eundem excitandi, vel sedandi & extinguendi contrarium.

De naturæ ordinibus.

Quatuor esse constat in rerum natura elementa sive qualitates primas, diuersas inter se, & suâ quoque proprietatem habentes. Sunt enim ignea & terrea duæ extremae, aerea verò & aquæ intermedie.

Ex quarum infinitæ varietatis concursu & commissione prodit naturæ vniueritas, infinita proportionum varietate distincta: & quatuor primum ordines in ea cardinale s, secundum qualitatem ex illis quatuor maximè eminentem siue excedentem & præcessenteris tribus dominante, discernendi: deinde intermedij in his ordines numero infiniti, & multorum graduum diuersaque omnes proprietati. Ad hos igitur eorumque proprietatē, res omnes, ut à creatore Deo distinctæ apparent, referenda sunt: sensus etiam, cogitationes, & ingenia hominum: item quæ in humanis rebus versantur, rationes, causæ, consilia, dicta, facta, mores, vocis sonus, gestus, incessus, dicendi & agendi.

di modi, affectus & passiones omnes. Est enim natura humana (ex illis quatuor proprietatibus nimirum conflata) variis etiam imaginationibus, omnibusq; passionibus & affectibus subiecta, quæ in illa diueritatis massa sunt & excessu, defectu, vel commotione aliqua exoriri possunt. Et in corpore quidem humano, clementis respondent quatuor humores. Qui si iusto pôdere se habent, sive ad iustitiam, ut medici volunt, temperies naturalis est ea que tanto maior quanto iustior est proportio: Sin minus, intemperies naturæ oritur, quæ si vehementior est, sanitatem compaginis turbat, noxiisque infestat sive occupat cerebrum & imaginationem fumis, vnde varijs præter naturam affectus & passiones animi oriuntur. Qui omnes tamen affectus extrinsecus etiam commoueri & excitari possunt, per res proprias sensibus vel rationi occurrentes vel obiectas, quamvis alij in aliis facilius magis minusque propter proportionum varietatem. Nâ que iouiale ingenium nō facile ad inuidiam & iram inducitur: neque melancholicum ad hilaritatem & risum. Veruntamen est aliqua ratio & inueniri posset dicendo, quæ vel ipsum Timonem misanthropon in contrariam partem nonnihil commoueret, & acerbitas in eo virus paululum deliniret, mentemque eius perstringeret aliquo saltè temporis spatio. Quandiu verò corporis & animi durat constitutio nativa, maximè dominatur illa cerniturque proprietas, quæ in naturæ compagine principatum obtinet, cæteræ verò in hac ipsa quiescentes, quo quæque maior eo evidentius, notari & quasi scintillis nonūquam emicantes percipi possunt. Porro ex earum proprietatū varia commissione, originem dicit amicitia rerum & inimicitia quam in vniuersa natura videmus. Cum nimirum res quæcunque eiusdem ordinis, cognatae, atque omnes proportiones, quo viciniores eo cōiunctiores, quo magis distat eo alieniores, adeoque dux

extremæ

extremæ inter se sint inimicissimæ. Hinc est quod res quædam naturæ hominum , aliæ aliis conueniant ad valetudinem, vel omnino cōtrariae sint : quemadmodum cicuta lethalis est, quia tantum ab humano temperamento medio distat, in eoque frigefaciētum ordine & gradu est, ut calorem naturalem in homine obruat, extinguatque. Sic nimia nocet melancholia , in eaque medicanda, non modo aromata, herbes, & succi contrariae qualitatis prosunt, sed etiam verba consolatoria, colores grati, & omnia quæcunque ad hilaritatem efficiendam propria sunt. Gaudent enim, cōciliantur , augentur similia similibus, contraria contrariis expelluntur, & omnia quæ extrema sunt, rebus temperatis sensim ad temperiem reuocantur. Animi autem curatio faciliorem facit curationem corporis, & plurimum ad eam confert. Estque dictum Zamolxis Thraciæ regis , quod Plato refert, omnia bona vel mala in corpus ad anima demanare, ideoq; illam in primis curari oportere: ea enim ad temperiem perducta & adiuuante, facile vniuerso corpori contribui sanitatem. Quamobrem rectè Cicero, animo inquit valere opus est ut corpore possis. Quod ideo retulimus , ut intelligatur in affectibus sedandis atque extirpandis, omnem vim orationis conuertendam esse ad inducendam rationem atque mentem ipsam, quod facilior sit sensitius virtutis (quæ valde corporea est) curatio. Ex quibus liquet omnia naturalia proptium quiddam in se habere quod aliis vel placeat, vel displaceat, prospicit vel noceat , & consequenter delectet, detineat, auertat, commoueat, & alios alio modo afficiat. Ut probis placent honesta verba & virtutes, displicent facta indigna & iniqua : Scurras delectat scurilla Sic ad commouendum, actionis lenitas minimè commoda est, conueniunt tragica verba. Sic Clytem næstram diu in pudicitia cōtinuit certa quædam modulationis proprietas, impudicos in ea affectus sub-

ānde reprimens sanansque. Orphei triste & lamentabile melos , vt est in poetarum fabulis) mouit inferos, Plutone & Proserpinam. Moderati mores & probitatis existimatio commendant. Sic getus incensus, oculorum obtutus, interiorem animi proprietatem plerunque indicantes proprium quiddam habent, natura vel arte quod alios afficiat & communis hominū natura vel gratum sit vel aduersum.

Quid necessarium sit ad recte adhibendum affectum rhetoricum.

VT recte adhiberi possit hic affectus, necesse est considerare diligenter ordines naturae : item cognoscere naturas hominum & affectus : & quinam potissimum ex consideratione cause, personarū, & circumstantiarum spectandi & suinendi sint: tenete præterea verborum, rerum, rationum & argumentorum, pronunciandi & agendi proprietatem.

Quid continet officium affectus rhetorici & quo triplex sit.

IN officio huius affectus, tria sunt. Aut enim adhibetur ad conciliationem, qua scilicet benevolentiam oratori ciuique cause acquirat , & malevolentiam extinguat , vel aduersæ parti omnia contraria efficiat: Aut ad attentionem qua animos erigit ad audiendum, discendum & considerandum: Aut ad permissiones excitandas, vel extinguendas siue sedandas mitigandasque, que sunt amor, odio, spes, desperatio, ira, inuidia, fauor magnus, & similes affectus , qui a medio in utramque partem extremi sunt.

Triplex etiam est affectus rhetoricus: leior scilicet,

cet, vehementior, & medius siue temperatus.

Leniore utimur in causis leuioribus quæ vel non ferunt vehementiam, vel placida tantum conciliatio ne indigent: vel cum animi suauiter præparandi sunt ad maiorem motum, & initia per motionum & fundamenta lenioribus modis dissimulanter iacienda: vel etiam cum attentio blandè efficienda est. Vehementior duas partes, ab utroque scilicet medijs latere extremas, ideoque duplum agēdi rationem habet. Utimur eo ad per motiones, & in causis grauioribus quæ vim requirunt, & vbi ipsius cause ratio & auditores vehementiam ferunt. Vehementiorem vero dicimus ab intentionis maiore efficacia. Sunt enim sua cuique parti verba & dicendi agendique proprij modi. Namque ad iram, odium omnesque affectus qui in eo latere sunt extremi, acris verba maximè & agendi vehementia requiritur: ab altero latere, blado impetu summa mentis intentio vehementiaque, & modestiore modo sed rationis maiore vi omnia expedienda sunt. Temperato affectu utimur vbi extrema quædam per motio commode sedanda est, vel extingueda & contraria excitanda.

Nam cum inter duo extrema medium sit, nec ab uno ad aliud perueniri possit nisi per mediū, ipsa quoq; extrema ob nimia contrarietatem sese inticē reipuāt nec vlo etiam minimo loco admittant, idco affectus extreimi ad temperiem primū reuocādi & sensim perducendi sunt. Non enim fert ullam lenitatis & clementiae mentionem, qui rei atrocitate commotus & ira æstuans nihil nisi pœnam & supplicium cogitat, sed media quadam ratione paulatim mitigandus est, verbis, sententiis & rebus inter duo illa extrema mediis, & tunc demum serpendo persuaderi & in alterā partem subtiliter perduci potest.

Sic cui odium alta mente repostum iacet, totum amoris ordinem & quæ in eo sunt, si subito proponā-

tur aversabitur maximè, sed prudenti moderatione emolliendus primum & circuitione ducendusest. Respuit omnem odij motum qui vero amore ebrius est, neque facile commouetur nisi ratione media paulatim erectus suspicionem cōcipiat, vel errorem sui iudicij cognoscat. Præterea & ipsa quandoque iudicium natura & causa & personarum conditio non fert extrema, vt semper vel maxima orationis parte temperatis utendum sit. Suntque qui ipso medio affectu magis capiantur & concilientur oratori, qualis Cato fuisse videtur.

Communis autem rhetorum schola ponit duos tantum affectus. Leniores scilicet qui ἡθικὴ vocantur & placidam agendi rationem habent verbaque lenia, vt illud Virgilij: Omnis in Ascanio chari stat cura patrēris. placide & suauiter profertur & charitatē curāq; Æneas valde commendat.

Et vehementiores qui dicuntur πάθη acribus verbis tragicisque & animi quadam vehementia propoundingi: vt illud Virgilij est de Pyrrho & Priamo. Altaria ad ipsa trementem traxit, & in multo lapsantem sanguine nati &c. acerius, vel cum doloris significante prolatum, rei indignitate odium concitat Pyrrho. Item illud, Pallas te hoc vulnere Pallas immolat & pœnā scelerato ex sanguine sumit. vehementia vocis & ardore animi pronuntiandum, irā Æneas & in vindicanda amici morte impetum demonstrat.

De locis affectuum.

Locus affectuum facile inuenire & sibi quisque describere potest, qui cuiusq; generis naturam, fontem, causam, intentionem, finem & rationem præcipuam diligenter considerando omnia ad eam pertinentia tanquam species ex genere colligere studet.

Duplici

Duplici autem ratione eos querere debet orator: ex consideratione personæ à qua sumēdi sunt, & eius quæ afficienda est, item à sua causa & ab aduersa, directè vel obliquè. Ut si fortè in sua nihil sit benevolentia dignum, tamen referendo omnia quæ in aduersa parte sunt valde odiosa animos & fauorem auditorū sibi inclinabit potius.

De locis benevolentia.

LOCI benevolentiae sunt: dignitas hominis, res gestæ, existimatio virtutis, signa facilitatis, liberalitatis, iustitiae, fidei, māsuetudinis, pietatis, gratia animi perseverentis iniuriarum & non appetentis: item studium commodandi aliis præsertim ipsis auditoribus. Quæ quidē omnia vel apertè proponenda vel obiter quandoque tangenda sunt.

Item inter benevolentiaz locos est, proponere ea & proferre argumenta & rationes, quæ proborū sunt & demissorum, non acrīum, non pertinacium, non litigiosorum, non acerbitorum. Hæc enim valde benevolentiam conciliant, abalienantque ab iis, in quibus ea non sunt. Quamobrem contraria etiam omnia in aduersarium referenda & exaggeranda sunt.

Præterea multum valet ad conciliandam benevolentiam, (præsertim multitudine audiente) lepos, si cum quadam dignitate adhibetur, item proba quædam ingenij alacritas, & sinceritatis probitatisque existimatio omnibus modis dicendo & agendo quærenda.

Attentionis afficiendaz locos referemus inter præcepta tractationis.

De locis amoris.

HI sunt iidem ferè qui & benevolentiaz, nisi quod maiore intentione, diligētia, explicatione, motu

& cum amplificatione proferuntur.

Item si ea velle videamur, & tenuis quæ audientibus sunt utilia, vel pro viris bonis laborare qui ipsius utilites & boni sunt. Plus autem prodest spem aliquam futurae utilitatis ostendere & beneficiandi in posterum voluntatem constantiamque, quam beneficiorum memoriam renouare.

Ad odium concitandum omnes contrarij loci sumendi sunt.

De locis inuidia.

INUIDIAE motus acerrimus est, eiusque loci sumuntur a qualicunque præstantia, dignitate vel fortuna acquisita vel acquirenda præsertim facilè & immixtio, eiusque magnitudine & opportunitate ad maiora perueniendi, item ab insolentia & superbia ipsius fortunati. Solent enim homines inuidere florenti fortunæ & commodis aliorum, maximè autem superbis & paribus vel inferioribus, cum se relictos sentiunt, illos verò euolasse dolent.

Modus autem sedandi hunc motum est, ostendere magno labore ea & periculis parta nec ad proprium commodum, sed ad aliorum utilitatem esse collata, atque ipsum fortunatum communem, familiarem, benignum, liberalem, minimè elatum, minimè auarum, minimè appetentem esse & gloria non delectari: item minuere fortunam, ut miseriis laboribusque permista esse videatur: item communicare honorem cum aliis, ambitionis omnem suspicionem a se removere: extollere auditorum industriam, suā deprimere.

Et similiter omnium permutationum loci ex ipsa ratione & sapientia eruendi & memorie inscribendi sunt.

De elocutione secunda translationis parte.

ELOCUTIO est quæ res excogitatas & animo dispositas dilucide exponit, ornat, variat & amplificat, omnibus

omnibus propriis eloquendi modis maximeq; com-
modis, oratoris intentioni subseruiens.

Complectitur autem rationem Grammaticam, fi-
guras, modosque variandi & dilatandi orationem.

Ratio autem hæc Grammatica electionem verbo-
rum collocationem & conclusionem continet.

*De Verbiis eorumque electione, collocatione &
conclusione.*

VErba sunt aut simplicia, aut coniuncta siue conti-
nuata. Simplicia vel sunt visitata propria, vel træsla-
ta & nouata. Translata siue nouata sunt quæ à simi-
litudine vel vicinitate quadam siue naturæ siue signi-
ficationis, loco priorum assumuntur. Ut cù ebrius
proprio visitato loquendi more significer potionis co-
pia siue fumis obrutum. Si quem dicimus studiorum
amore ebrium, innuere intendimus in studiis totum
esse, neque aliud ferè quicquam cogitare quam quod
studia suadent.

Continuatio verborum est plurium constructio ad
sententiam aliquam efficiendam complendamque.
Continet autem collocationem & modum distin-
guendi & concludendi.

Collocationis est componere & construere verba
aptè secundum Grammaticæ artis & constructionis
siue syntaxeos vulgaria præcepta & alios quo scūque
elegantiarum modos ex probatissimis autoribus partim
collectos partim diligentí obseruatione notandos,
vt sit iuncta oratio cohærens, lenis æqualiter fluens
& elegantiarum plena.

Modus cōtinet vocis moderationem, & verborum
commodam conclusionem ad interspirandum ab I-
socrate primum obseruatam & demōstratam, vt au-
ditores, verborum quasque coniunctiones & senten-

tias debita conclusione vocisque moderatione com-
modè distinctas facilius clariusque percipere possint.
Vocatur autem huiusmodi in oratione distinctones,
commata,cola & periodi.

Colon integrum quandam sententiam includit.

Cōma distinguit partes siue membra col.

Periodus plura colā comprēhendit.

In electione autem siue delectu verborum, primū
de simplicibus, deinde de eorum coniunctione agen-
dum est. Et simplicia quidem siue visitata' propria siue
translata cōmodè, ea eligenda sunt, quæ maximè con-
grua & aptissima videtur ad vim & naturā rei propriè
exprimendam. Omnino autem oratori solēcismus
vitandus est, neque iis vtendum, quibus iam commu-
nis cōsuetudo non vtitur: ut reapse pro re ipsa, nisi for-
te auditores siue iudices sint antiquarij: valde enim
illa cauta nocent, anocant animos auditorū, & atten-
tionem dissoluunt. Sed imitandi sunt ex antiquis Ci-
cero, Terētius, Cæsar, Liuius, Valerius Maximus, Sue-
tonius Quorum sermone affluescati, ne cupiētes qui-
dem poterunt loqui nisi latinè purè & non molestè.
In translatione verborum caudendum est ne nimia sit:
ne maius vel minus contineat quam res postulat: ne
insit turpitudo: quæ quidem vt castiores vel honestio-
res auditorum aures ferit, ita nimio sēpe risu excita-
to nocet. Præterea si longius petita vel absurdior du-
riorque videtur translatio, præposito verbo (vt ita di-
cam) quandoque mollienda vel excusanda est. vt vo-
luptas rationi inimica, mentis (vt ita dicam) perstrin-
git oculos.

Constructionis autem delectus siue elegantia pro-
prietasque maximè commoda ex syntaxi, & optimis
quibusque autoribus prudenti iudicio sumenda est
vt diximus.

Figura est loquendi forma ad aliquem usum necessaria vel utilem, sive ad venustatem nouata, & praeter vulgarem modum assumpta, vel notabilem aliquam proprietatem habes praeter simplicem significacionem.

Omnis enim figura vel ad grammaticam propriae pertinent atque usum ornatum & fecunditatem linguae latine absoluunt compleatque, vel in arte rhetorica plurimos sensus prestant, & subtilitates quæ ad docendum, exprimendum, notandum, simulandum, dissimulandum, tegendum, ad afficiendum, illustrandum, variandum & ornandum utiles & necessariae sunt.

Earum vero omnium partim singulis in verbis & eorum aliqua mutatione spectantur, quas dictioonis: partim in verborum coniunctione, quas constructio- nis vocant: partim in natura vi & ratione significa- tionis.

De figuris dictioinis.

Hæ figure sunt prosthesis, aphæresis, proparalepsis, apocope, epenthesis, syncope, ectasis, systole, diaeresis, synæresis, synalæphe, echthliplisis, antistæchon, metathesis & eiusmodi aliae.

Prosthesis

Est cum litera vel syllaba ad principium dictioinis ad ponitur: ut gnatus pro natus.

Aphæresis

Est ablatio literæ vel syllabæ à principio dictioinis: Ut ruit pro eruit, ponere pro deponere.

Proparalepsis

Est accessio literæ vel syllabæ ad finem dictioinis: Ut conuelleri pro conuelli.

Apocope

Est abscissio literæ à fine dictioinis: Ut videbo quid ea p[ro]tent consili pro consilij. Dic pro dice.

Epenthesis

Est cum in medio dictioinis, litera vel syllaba inter-

terponitur. Ut mauors pro mars, induperator pro imperator.

Syncope.

Est cum è medio aliquid aufertur. Ut amasti pro amauisti. dixisti pro dixisti.

Ectasis.

Est productio syllabæ natura breuis. Ut exercee; Diana chorus.

Systole

Est correptio syllabæ quæ natura longa est.

Diæresis

Cum diphthagus siue una syllaba resoluitur in duas syllabas. Ut aulai pro aule, aeneus siue aheneus pro æneus. Huic contraria est synæresis. Ut cœpes pro aces pes.

Synalœphe & Echthlipsis.

Cum vel vocalis sola ante vocalem comprimitur siue deletur, vel vocalis cum consonante eliditur. Ut mult' ill' & ieris iactatus & alte.

Antistœ, hon.

Cum litera pro litera ponitur. Ut olli pro illi.

Metathesis

Est transpositio quædam literarum. Ut tymbre pro tynber.

Hæ figuræ ad artem poeticam maximè spectant: nihil vero ad rhetorica, tantummodo ut sciat orator eas in lingua latina esse & poetice licentia familiares possitque iis vti, (si quando commodum videatur) ad oblectandum auditores ad iocum, ad ironiam & mimesin de quibus postea.

Figuræ autem constructionis gramicæ earumq; definitiones & exempla ex syntaxi & probatis autoribus petenda sunt.

De figuris significationis.

Hæ non modò usum linguæ latinæ & elegantiam docet sed nonnullam eratori vilitatem plerique omnes

omnes praestare, quædam verò artis oratoria omnia propria sunt, ex his omnibus autem quæcunque significatione habent translatitiā, aliam scilicet sub cortice latenter, quam verba ex sua natura præse ferunt, tropi vocantur, tuncque aut dictionis aut orationis. Reliquæ verò, si comptiores vel insigniores sunt, scheme dicuntur, in quibus nō est necesse propriam significacionem mutari.

De tropis dictionis.

Hic sunt metaphoræ, metalepsis, metonymia, antonomasia, synecdoche, onomatopœia, periphrasis, abusio.

Metaphora

Et cum vox à sua proprietate transfertur ratione cuiusdam similitudinis ad rem & significationem nō propriam. Ut sentire, tenere, videre, pro intelligere. iuratum mare. ferreum pectus. oblatrare pro obtrectare. procella pro periculo. latinè dicitur translatio.

Metalepsis.

Latinè transsumptio est cum nomen assumitur ab effectu sive virtute rei. ut pallida & gelida mors. vinum calidum, frigida cicuta quia frigefacit corpora.

Ad hanc pertinent epitheta quæ a natura & qualitate ducuntur. Ut candida nix quibus tamen in oratione rhetorica non valde vtendum est, nisi emphasis habeat, vel ad elegantiā, delectationem & ornatum facere videantur.

Metonymia.

Latinè transnominatio est cùm vicinum nomen pro vicino sumitur, vel autorum sive inuentorum nomina pro rebus inuentis. Uz sceptra pro regno. fasces apud Romanos, pro imperio sive consulatu. claves pro officio sive potestate. Venus pro libidine. Bacchus, pro vino. Moles pro lege. Dat Galenus opes &

Iustinianus honores. Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Antonomasia.

Latinè nominis permutatio cum patronymicum vel appellatiuum nomen loco proprij ponitur, vel cū generali nomine vñus maximè princeps significatur. Ut Tydides pro Diomede, Senex pro persona heri apud Terentium, Seruator pro Christo. Poeta pro Homero vel Virgilio, Philosophus pro Aristotele. Item si Ciceronem nominemus eum qui eloquēs est. In quo tamen etiam est metonymia.

Synecdoche.

Latinè cōpræhensio, sive intellectio secundum Ciceronem, est cūm ex uno plura intelligenda sunt, sive ex alio aliud. Ut Hispanus miles pro Hispani milites, rectum pro domo sit autem pluribus modis.

Aut enim totum parte comprehenditur, sive uno plura. Ut militem conscribere pro exercitum conscribere. Sic abundat porco agno gallina caseo.

Aut totum pro parte sumitur. Ut miseri nunc & infelices Belgæ, non omnes tamen.

Exercitus cæsus ubi plurimi interfici.

Aut continens pro contento. Ut ciuitatem percussit gladio. Roma rerum domina.

Aut cōtentum pro continente, ut deuastatur Franci, pro Francia.

Aut materia ponitur pro forma, ut ferrum pro gladio, Auena pro fistula.

Aut species pro genere. Ut pontus pro mari.

Aut ex præcedentibus intelliguntur sequentia. Ut suimus troes, pro debellati sumus. suimus felices pro iam actum est de nobis vixerūt pro mortui sunt.

Onomatopœia.

Est noua nominis fictio a sono, à similitudine naturæ & morum vel alia quauis proprietate sumpta. Ut bombardæ. Taratantara pro tubæ sono.

At tuba terribili sonitu taratantara dixit. Syllatu-
re pro syllam imitari velle. Itē patrissare. Et quæcūn-
que alia deriuationē effinguntur.

Periphrasis

Est circulocutio nominis sive circuitio quæ pluribus
verbis fit. vt ars bene differendi & iudicandi pro Dia-
lectica. Sylla admonuit optimates cauerent à puerō
malè præcincto, iulium Cæfarem indicans.

Abusio

Est cùm abutimur vocabulo: vel propter necessitatē
& vocatur catachresis. Ut piscina pro ampio in bal-
neis vase quo lauantur: vel amplificandi & exaggerā-
di gratia. Ut vir incredibili humanitate, latro pro im-
probo, auaritia pro parsimonia, medicus pro eo qui
medicinae principia tantum degustauit. vocaturque
hæ auxesis, & si nimia est fidemque rei excedit, hy-
perbole. Ut vox astra ferit, licuisset lunam digito con-
tingere: Vel minuendi sive extenuandi & detrahen-
di gratia. Ut multiloquum nominando qui elo-
quens est, item tardiloquum qui mutus est. frugalita-
tem sumendo loco auaritiae, erratum dicendo quod
scelus est. Et vocatur hæc rapinosis, propriè quidem si
detrahendi causa fit: si verò nimia est dicitur miosis
latinè extenuatio incredibilis. Ut si attigisse modò di-
camus qui suggillauit.

De tropis orationis.

Tropi orationis sunt allegoria eiusque species æ-
nigma, parœmia, ironia, larcasmus,

Allegoria.

Est cùm tota quædam intentia translatam habet si-
gnificationem atque aliud verbis ostendit, aliad sen-
tu, diciturque perpetua metaphora. Ut fenestram ape-
rire, pro occasionem sive opportunitatem & ansam

præbere. Item omnes libri Mosis allegoricè conscripsi præter vulgarem verborum sensum, aliū intérieur sub cortice latenter habent. Ad hanc pertinere omnes parabolę.

Ænigma

Est obscurior allegoria. Ut dimidium plus toto.

Paroemia

Latinè adagium est dictum celebre adumbratum habens sensum, minus tamen quam ænigma perceptu difficultem. Ut dignum patella operculum. similes habent labra lactucas.

Ironia.

Latinè irrisio cum id quod re ipsa contrarium intendimus, verbis concedimus in speciem siue aliter nominamus, atque ita tamen eloquimur, ut aliud dicere nos, aliud sentire & innuere appareat. Ut credēdū est, hic dixit, Atticus nimirum testis. innuentes medacissimum & corruptissimum esse qui dixerit. Item si prodigos & nepotes, homines frugi nominemus. Huic vicina est mimesis cum alicuius gestum siue verba & loquendi modū representando atque imitando deridemus.

Sarcasmus.

Est acerba irrisio cùm vi cito quis insultat, vel misero calamitatem exprobrat, Ut apud Virgilium, En agros & quam bello Troiane peristi, hesperiam metite iacentis. Item illud reginæ Scythiae ad Cyri Perlarum regis occisi caput, Satia te sanguine quem sitisti

Troporum autem omnium plurima est utilitas, & Cicero quidem dicit translationem, si sumpta est ratione & prudenti iudicio, magis etiam delectare quā verba propria. Cuius ratio fortè sit, quia ingenij specimen est transilire ante pedes posita: vel quia is qui audit alio ducitur cogitatione, neque tamen aberrat: vel quod sensus maximè tanguntur varietatis quadam attentione. Quæ vero horum exempla maximè in vultu sunt, quomodo & à quibus rebus & verbis sumi aptissime

simè & quammaximè cōgruenter excogitari possint,
doctrina & iudicio percipiendum est.

*De figuris qua significatione propria minimè mutata
non nihil veritatis etiam adferunt artificia
ria, tunc praecepit ad Esum locu-
quendū pertincent.*

HÆ sunt emphasis, pleonasmus, transitio, paréhesis, repetitio, anaphora, asyndeton, homœoptoton, homœoteleuton, hypallage, paronomasia, eclipsis, apophysis.

Emphasis.

Latine expressio est cùm vel uno verbo cui dignitas siue quædam rationis & communis sensus inest, autoritatem nostræ sententiae constituimus fidemque facimus, vel aliquid aliud quod latet exprimimus, significamus siue efficiimus. Ut ipse dixit. Quo quidem dicto discipuli Pythagoræ significabat nihil amplius de eo quærendum siue dubitandum esse, quod ipse nimur sapientissimus & indubitate autoritatis, philosophus dixisset. Sic Aristidis est iudicium. Item ipse Apostolus Paulus scripsit.

Pleonasmus.

Vbi verba quædam abundant, vel minimè necessaria & ex ipso sensu intelligenda adduntur. Ut sic ore loquuta est. Hisce oculis vidi, quod tamen ad emphasis quoque pertinet.

Transitio.

Cum ab eo quod dictum est ad reliqua transiit ad monemus quid restet dicendum.

Parenthesis.

Est significationis cuiusdam interpositio declarandi vel excusandi, testandi, exclamandi, admonendi, cingendi, auertendi, vel aliquid aliud subindicandi causa,

alijs sententiae siue orationi inserta. Ut Regem non faciunt opes non frontis nota regiae : Rex est (ut inquit Seneca) qui posuit metus & diri mala pectoris.

Repetitio.

Figura repetitionis est cum eadem vox vel sententia repetitur: idque vel simpliciter. Ut virtute parada est nobilitas, virtute parta immortalis est veramque infelaudem habet. Tuta frequensque via per amici fallere nomen. Tuta frequensque licet sit via crimen habet. Elegantia repetitionis & venustas oblectat imprimis efficitque aliquid in auditorum animis quo attentius rem considerent. Vel si cum emphasi quadam repetatur. Ut eo tempore consul erat consul: id est prudens fortis constansque qualem decet esse consulem. Est hic non modo comparatio sed tacita quaedam officij descriptio, quæ consuli odium concitat maximè, si contra ipsum fiat oratio. Item ad illud tempus Carolus erat Carolus, id est sui similis. Vel si casus siue alio quocunque modo in se vel in significatione non nihil mutata. Ut qui nihil in vita habet iucundius vita, is cum virtute non potest vitam colere. Item venire præstat quam venire. Nescio quid dicam non possum soluere dicam. Delige quem diligas. Amari iucundum si nihil insit amari. Vel etiam cum sepius eodem nomine siue vocabulo in principio plurium versuum repetito, plura de uno referuntur. Ut ille dicebat, ille faciebat, ille iubebat, ille administrabat, ille regebat omnia. Verres calumniatores adponebat, Verres de causa cognoscebat, Verres pronuntiabat. Anaphoram vocant vel epanaphoram.

Asyndeton.

Est cum plura verba sine coniunctione cohærent. Ut in illo Cæsar's dicto. Veni, vidi, vici. Latini articulum vocant, Polyndeton contra plures coniunctiones habet.

Homœoptoron.

Est

Est quæ similitudinem casuum habet eodem sono significantium. ut vir affluens ubertimo ingenio, diffluens nimio otio. Hominem laudas egentem virtutis, abundantem felicitatis. **Quocunque aspexisti, ut furia, sic tuæ tibi occurrunt iniuriaæ.**

Homœoteleuton.

Est cù in verbis aliisue vocibus commota aut colla similitudinem soni habent. Ut ornatè dicere, eleganter scribere.

Hypallage.

Est cùm inuerso rerum ordine sententia profertur. Ut apud Cicerone, *Quis alligauit generum meum gladio? Et ventos iuslit velis dare clavis austros.*

Paronomasia.

Cùm literarum quadam commoda mutatione sive transpositione vox in contrariam significationem vertitur. Ut non honori mihi est sed oneri. Non orator sed potius arator dicendus est. Non philosophus sed philologus.

Eclipsis.

Cum in oratione defectus est alicuius verbi vel nominis & casus. Ut in Terentio? *Egone illam? quæ illum? quæ me? quæ non?*

Aposiopesis.

Latinè reticentia, cùm incisa propter affectum aliquem sive animi commotionem sententia non integra profertur. Ut ego te furcifer si viuo: sed isthuc quicquid est primū expedi. *Ter. Quos ego, sed motos prestat componere fluctus.*

De figuris significationis que ad rhetorica[m] propriè persinvent.

SVNT præterea aliæ figuræ artis rhetorice omnino propriae: quarum quædam utroque modo, nunc ad ornandum amplificandum affectusque excitandos

adhibetur nunc ad argumentandum. Interrogatio, subiectio, exclamatio, dubitatio, paradoxo, propositio, yvw. u.4, noema, pathopœia, p̄t̄eritio, expolitio, definitio, explicatio, distributio, cōparatio, amplificatio, cōgeries, incrementū, correctio, epiphonema, eleuatio, concessio, paradiastole, cōtentio, admittio, licentia, commutatio, translatio, gradatio, ratiocinatio, hypotyposis, ætiologia, permisso, communicatio, inuestio, reiectio, antipophora, abiectio, dilemma, collectio, retorsio, elusio, occupatio.

Quid sit interrogatio.

Est cūm venusta quadam & apta interrogatione utimur, vel veili & graui. Ut quorsum hæc tam multa? Ut intelligatis &c. Qui sic initabas hospes an hostis eras? A rebus gerendis senectus abstrahit quibus? an iis quæ iuuentute geruntur & viribus? nullæne igitur res seniles sunt, quæ vel infirmis corporibus animo tamē administrantur? Adeone igitur mori miserum est?

Subiectio.

Cum ipsimet nobis respondemus, vel cum omnibus siue pluribus argumentis quæ contra nos faciunt vel responderi possunt interrogando adductis confutationes sigillatim subiicimus. Ut si ad superiorēm interrogationem consequenter respondeamus. Minime profecto: huius enim mortalis & miseræ vitæ existum vita excipit æterna & beata. Quid existimē, quid cogite quod literas à te nullas acceperim? an te fuisse occupatum? sed otiosè in foro deambulasse constat, an ægrotū nupsiis interfueristi, an meas tibi redditas non fuisse? perlatas scio. quid igitur? quidvis malo quam te mei oblitum amicitia nostra valedixisse. Ad hanc figuram quandoque utilis est ironia & tropi.

Exclamatio.

Cūm o' particula aut simili interiectione utimur exclamando. Ut ô tempora, ô mores, ô paternæ claritatis oblite, ô felix si te tua Roma videret. ô me miserū.

ô fortu-

¶ fortuna viris inuida fortibus quam nō æqua bonis
præmia diuidis Sen. ¶ superbiam inauditam: alios in
facinore gloriari, aliis ne dolere quidem impunè li-
cere. Nam quis est pro deūm fidem atque hominum,
qui velit vt neque diligit quenquam, nec ipse ab vi-
lo diligatur, circumfluere omnibus copiis & in om-
nium rerum abundantia viuere? Hæc enim tyranno-
num vita est nimirū Cic. Hei mihi qualis erat quā-
rum mutatus ab illo &c. Virg. Adhanc etiam perti-
net obtestatio, imprecatio, ominatio, inuocatio nu-
minalis diuini.

Dubitatio.

Est cum nos dubitare siue nescire vel modestia cau-
sa impares alicui rei esse significamus. Ut haud scio
vtrum crudelitas nominanda sit vel immanitas. Vt rū
magis admirandum sit ambigo vel illius tantam fuisse
impudentiam vel huius tantam modestiam.

Eloquar an fileam. Quod me vertam nescio. Tan-
ta fuit opportunitas vt illud nescio quid, non fortui-
tum sed diuinum videretur. Genus hoc sermonis pos-
sum in homiaum veterum autoritate & eorum illu-
strium, plus nescio quo pacto videtur habere grauita-
tis. Sed quis ego sum? aut quæ est in me facultas? do-
ctorum est ista consuetudo.

Paradoxon

Est cum admiramus vel præter opinionem quid no-
bis evenire significamus. Ut nunquam fore credidi
iudices, vt huius viri sinceritas & fortitudo domi mi-
litiaeque spectata torque manifestis vestigiis ubique
impressa in dubium reuocaretur.

Proslipopœcia

Cum personam fingimus vel rei inanimatæ sensum
tribuimus, vel absentem siue mortuum inducimus lo-
quentem. Ut fama, inuidia, famæ, finguntur & descri-
buntur apud poetas. Item sanguis interfecti clamæ
in cælum.

Est dictum aliquod celebre siue sententia & preceptū pertinens ad mores variosque vitæ casus. Ut fronte ac vultu simulatio facilè sustinetur. Item ad hanc pertinent proverbia omnia & dicta clarorum virorum. Ut amicus certus in re incerta cernitur. Enn. Sera nunquam est ad bonos mores via. Sen.

Noema.

Latinè intellectus cum ex eo quod dicitur latius aliquid intelligendum est. Ut si verba ad significandam rem quampiam desumpta sint ex loco aliquo communis, qui nimis generalis rationem in se habet.

Pathopœia.

Est quæ permotionem aliquam continet & affectus siue passiones animi mouet vehementiores, præsertim doloris, miserationis, misericordia, iræ & indignationis. Huius quoque species sunt exclamatio, deprecationis, vota & similes.

Præteritio

Cum quasi prætereundo aliquid ostendimus, vel omittere simulamus, quod maximè exponimus. Ut Ciceron pro Milone. Nihil dico quid res publica consecuta sit, nihil quid nos, nihil quid boni, nihil sane id proposit Miloni, qui hoc fato natus est, ut ne se quidem seruare potuerit quin una rem publicam vosque seruaret. Est hiceriam fere noema. Ostendit enim obiter & recte ad intelligendum proponit, pessimum fuisse Clodiū, & perniciōsum ciuem publico & magno omnium bonorum commodo interfectum à Milone. Itē non dicam pro quantis beneficiis qualem mihi gratiam retulerit. Ex præteritione illa & ex quantis, paruum vel nullam fuisse remunerationē colligendū est.

Expolitio.

Est quæ eandem sententiam commutatis verbis ornatus repetit, siue explicat ab autoritate scilicet, exemplis, sententiis aliisque rationibus, & argumenta & proba-

probationes amplificando subinde exornat locupletatq;. Ut si enim isti callidi rerū æstimatorē prata & areas qualdam magni æstimāt, quod ei generi possessionum minimè quasi noceri potest, quanti æstimanda virtus, quæ nec eripi nec surripi potest vñquam, neque naufragio, neque incendio amittitur, nec temp̄ peñatum, nec temporum permutationē mutatur.

Definitio.

Est cum sententiam non simpliciter neque nudā sed ratione aliqua sive definitionis explicatione communī proponimus. Ut non est hoc boni ciuis, sed seditionis: bonus enim ciuis prodesse cupit ciuib⁹ quātum potest nocere nemini. Non fuit hoc magnanimi sed tumidi: magnanimus enim nec insolexit reb⁹ secūdis' nec deiicitur aduersis. Non est hoc Principis sed tyranni: bonus enim Princeps non sibi sed populo gerit imperium.

Explicatio

Ea etiam laudanda coque nomine digna cēsenda est explicatio, quæ rem explicat subiuncta ratione confirmat. Ut hoc pr̄stat amicitia propinquitati: quod ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest: sublata enim benevolentia, amicitiae nomen tollitur, propinquitatis maner.

Distributio

Est totius in partes sive membra diuisio. Ut si sapientiæ vsum necessarium pluribus rebus quæ sine sapientia administrari non possunt recensendis demonstremus. Ad hanc pertinet dialysis, ut iudices partim odio inducti partim pecunia corrupti.

Comparatio

Est similium inter se collatio vel dissimilium, parium vel imparium eiusdem vel diuersi generis, vel speciei cum genere, ad ornandum vel ad argumentādum. Ut quemadmodum Hercules orbem terrarū à monstris, sic Erasmus latinam linguam à barbarie vindicauit. Ille obscurus hoc pr̄sttit, tu nobilis non facies? Mu.

lieres multæ vitam etiam pro nihilo duxerunt virtutis amore: tu & vir & literis eruditus in voluptatem te abiicias? Item Scipio vir sapietissimus Tiberiū Gracchum tempublicam mediocriter labefactante in priuatus interfecit: Catilinam orbem terarum cæde atque incendio vastare cupientem nos consules perfremus? Item fates suspendio plectunrur, peculatores prouinciarum honore afficiuantur. Item cùm omnes scientia plurimum utilitatis adferant tum in primis medicina. Item illud Ciceronis: Negat intueri lucem fas esse q. à se hominē occisum fatetur in qua vrbe tandem hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea quæ primum iudicium vedit de capite M. Horatij fortissimi viri qui nondum libera ciuitate tamen populi comitiis liberatus est cum sua manu sororem effectam fateretur. Videndum tamen hic est fuerit ne melius alio exemplo vii quam isto: in quo ingens maximumque & certissimum beneficium meritūq; periclitantis Horatij iudicibus sese offerēs ab una parte: & ab altera indignitas sororis que priuatum dolorem publico gaudio, amorem proci, patriæ præferebat, nocere parum causæ Milonis videntur in qua nō est par ratio. Quod admonete volui, vt si minus ita videatur, tamē eo ipso studiosos excitarem ad eiusmodi omnia acutè & diligenter pensitanda.

Amplificatio

Amplificatio quæ & exaggeratio dicitur & à Cicero ne grauior affirmatio, est cùm id quod summatim siue generaliter & simpliciter dictum est, amplius deinde augendi, extollendi vel extenuandi, deprimenti siue abiiciendi gratia exaggeramus: causas rei, species, partes, circumstantias, antecedentia, comitantia, consequentia & effectus referendo enumerandoque cum emphasi atque inter se comparando: vel congerendo plura verba maximè propria & naturam rei exprimēria: vel accumulando modos, argumenta & rationes: vel

vel cùm affectum excitatum maiore porrò affectu eiusdem generis penitus imprimimus, vel sedatum extirpamus. Quatuor itaq; sunt amplificandi modi quā tamē etiam coniungi possunt. Ut si in luxu perditum inuehimur, & præcesserit, eū bona omnia dilapidasse, eo confirmato, ita subsequatur: Hic igitur heluo nequissimus quicquid vel hæreditate parentum & cognatorum obuenerat, quicquid ex vxoris amplissima dote accesserat, quicquid ex legatis quod nō erat exiguum, quicquid probi adolescentes filij optimaque vxor labore & industria acquisuerant, aurum, argentum pecuniā omnem, vestes, supellestilia, seruos, fundos, agros vna cum ipsis villis, instrumentis & pecori bus, breuiter rem vniuersam: commensationibus, lusibus alea nocturnis perpetuationibus: fortis in popinis, in ganeis, cùm vxor domi liberique fame contabescerent, alter etiam filiorum ex febri melancholia periculosè decumberet: paucis diebus decoxit, abliguriuit, absorbuit, ut ne teruncium quidem sibi misericorde luis reliquum fecerit. Admonere operæ pretium est si forte diligentius ratio habenda est ut ne quid vel minimæ laudis accedat, etiam de liberorum probitate tacendum esse si vxor eiusmodi est ut commendari non possit.

Est autem hæc figura omnium maximè utilis. Vbi que enim decet expeditque oratore intentum esse ad protrudenda sua, & deprimenda ea quæ aduersarij sunt: atque summa eloquentiæ laus est inquit Cicero amplificare ornando. Ad hanc pertinent dilatationes quæcunque emphasis habent, & non tam ad pompā quam ad aciem adhibentur. Item plures aliæ figuræ: ut congeries, incrementum, ratiocinatio, comparatio, eleuatio, correctio, hypotyposis.

Congeries.

Quando plura verba & sententiæ eiusdem ferd' pondēris vel species ad unam rem significandam coacer-

uantur. Ut quæ tua mens, qui oculi, qui ardor animi,
quid cupiebas? Nec verò ille in luce modo atque in
oculis ciuium magnus sed intus domique præstator,
qui sermo, quæ præcepta, quāta notitia antiquitatis,
quæ scientia iuris augurij, multæ etiam ut in homine
Romano literæ, omnia memoria tenebat non dome-
stica solum sed etiam extera bella. Quæ omnia con-
gusta sunt ad demonstrādam eius præstantiam. Item
de Catilina: Animus subdolus, audax, vanus, cuiuslibet
rei simulator ac dissimulator, alieni appetens.

Incrementum.

Est cum plura ad unam rem verba congerentes, non
tamen eiusdem significationis, gradatim exaggeran-
do ascendimus. Ut percussit, fauicauit, occidit. Fit e-
tiam pluribus sententiis. Ut Si enim aliena appetere
peccatum est, si decipere nefas, si furari scelus suspen-
dio dignum, si expoliare egenos nefandum: Quid de
istis peculatoribus & expilatoribus dicemus, quo no-
mine & pœna digni sint, qui miseri populi sanguinē
quotidie exugunt, & non patriæ respectu, non amore
religionis, sed impio & scelerato prætextu animos ad
arma concitantes, utilitatis suæ & quæstus catifa, à pa-
ce auersos tenent.

Correctio.

Cum id quod dictum est, alio verbo vel ratione ma-
gis idonea adferenda corrigimus, vel melius dici &
fieri potuisse ostendimus. Ut non sunt illi probi ciues
sed improbi, immo scelerati & impij. Quare hoc qui-
dem præceptum ad tollendam amicitiam valet: illud
potius præcipiendum fuit. Cic. in Lælio.

Epiphonema.

Est amplificatio siue gratulatio quædam in fine addi-
ta ad augendam admirationem siue magis ornādum
quod propositum est. Ut hoc verè regium est prodesse
miseris, supplices fido lare protegere. Hoc optimi &
veri principis cōsulere reipublicę Latinę acclamatio.

Elevatio

Eleuatio

Cum de industria res magni ponderis eleuamus, quod maiora etiam videantur, & maiore attentione extentur quae se cutura sunt. Ut leuia sunt haec in isto perditissimo nebulone: furtum commisit non semel, videatur fuisse necessitatibus: in adulterio depræhensus est sapientius, tribuatur ebrietati & mulierum illecebris &c. Item parum est in hoc viro doctissimo callere varias linguas, tenere artes liberalcs: parua sunt ea inquam, si comparentur cum miranda eius sapientia. Ita enim &c.

Concessio paradiastole

Concessio est cum concedimus aduersario quædam minoris momenti, ut reliqua exaggerari magis possint. Huic similis est paradiastole. Ut bonus ciuius opinione labi potest fateor, sed voluntate à republica dissidente non potest. Fabius cunctator est sed idem diligens prudensque minimè negligens est. Contentio

Cum per contrarium exaggeramus nostram sententiam. Ut non defensores sunt patriæ sed proditores, non religionis cultores sed euersores. Nulla salus bello pacem te poscimus omnes. Item autem enim nemo, (quod quidem magis credo) aut si quisquam ille sapiens fuit. præcedere aut subsequi debent rationes quibus sapientia eius demonstretur.

Admonitio.

Est quæ adiuncta rationis demonstratione sive distinctione sit. Ad hanc pertinet precatio, obiurgatio & aduersio quædam ne quid præter debitos fines fiat. Ut valde tibi videndum arbitror: ne cum te sapientia excellere & apprimere quæ recta sunt scire constet, facere ea nolle videaris. Item perutiles sunt libri Ciceronis quos legite quæsto studiosè ut facitis. Ne pueri ne tantu animis assuescite bella. neu patriæ validas in viscera vertite vires Virg.

Licentia.

Cum liberiore modo eos quibus reuerentiam debemus alloquimur: adhortando, commonendo vel obiurgando cum quadam gratia. Ut venustissime Dauus. Terentianus. Simonem herū suum: Et quod dicendū hic sicut tu quoque perparce nimium, nō laudo. Quocirca commotus Simo & subdubitans de schemate illo rhetorico, veteratorem cum nominat.

Commutatio

Est contrariorum transpositio. Ut esse oportet ut viuas, non viuere ut edas. Item, tu contra amicis inexorabilem, inimicis te placabilem præbes.

Translatio

Cum causa rei in locum aliquem digniorem transferatur, & ex eo rationes & argumenta ducuntur. Ut si Cicero Marcellum, qui sibi perpetuum exilium decreuerat, hortetur, ut Romam redire velit: si minus sua ipsius, tamen reipublicæ causa, quæ tam sapientis viri consilio carere diutius non possit: item optimi sui fratris causa, cui maximè expeditum eum redire concedat igitur tum reipublicæ vilitati tum deprecationi amicorum & assiduis vniici fratriis lachrimis.

Gradatio

Cum ab aliis ad alia quasi per gradus pergentes, efficiunt ex effectu continenter ducimus. Ut secundæ res efficiunt siue pariunt negligentiam: negligētia temeritatem: temeritas cuerit homines.

Ratiocinatio

Cum ratiocinando aliud ex alio colligendum propinquimus, vel ex assumptione aliquo causæ nostræ cōuenienti argumentamur. Ut tu istis fauibus istis lateribus ista gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Romani conspectu viderem. Hic colligere est (quod quasi ad viuū à Cicerone depingitur) quantum vini Antonius vir robustus ingurgitauerit, qui tali loco se à vomendo continere

continere non potuerit.

Item Omnes quorum vita à sceleribus non abhorret, si magno aliquo affectu ducuntur, facile & libenter sceleris ansam sive oblatam occasionem arripere solent: hūc igitur ab homicidio minimè alienum, capitali odio, vindictæ cupiditate, spe potius pecunia in fata opportunitate inductum, facinus hoc per petrasse & inimicum suum occidisse non indubitanter adseuerandum esse videtur.

Hypotyposis

Latinè suffiguratio est cùm res non simpliciter narratur, sed vel ex circumstantiis vel eo gestu & loquendi modo ita exprimitur, ut quasi oculis subiecta videatur & depicta. Quod maximè valet ad tractationem rhetoramicam.

Aetiologia

Cùm causam exponimus, vel aliquam excusationem cur ad dicendum processerimus.

Permissio

Cùm iudicibus aut iis, ad quos habetur oratio quædā explicanda & dijudicanda relinquuntur. Ut dixerit sānè, sed non ista fuit eius mens & sententia.

Communicatio,

Communicatio duplex est, prima si cum iudicibus vel aduersario deliberet orator, sive consilium eorum exquirat. Ut vos hic appello iudices in eiusmodi causa quid aliud faciendum fuit? Altera cum duo contraria, eiusdem effectus ratione connectuntur, & inter se quasi communicantur: ut vel eo modo alterū eorum parū sableuetur. Ut pariter in imperio nocent severitas & nimia lenitas.

Inuersio.

Est cùm inuertimus argumentū aduersarij. ut pro nobis facere videatur. Ut dixisti inquis ergo fecisti. immo contra quia dixi, ergo non feci: si enim fecissim non dixissim.

Item misera medicina, quia semper inter ægrotos versatur: immo fœlicissima quia opem fert in hincis. Non est addiscenda rhetorica: docet enim ornare verba. immo ob idipsum addiscenda est maximè quia sermonem exornet.

Reiectio

Cum aliquid reiicimus, quasi minus necessarium vel indignum, vel à causa alienum, vel propter rationes præcedentes. Nihil igitur afferunt qui in re gerenda versari senectutem negant. Sed non est ea referre necesse quæ ad causam hanc minus pertinent.

Antipophora

Est simplex respōsio prompta & expedita, quæ statim quæstionem vel argumento firmiore soluit tollitque vel ratione aliqua frangit. Ut illum dicis in Italia tūc occilum: hic ergo cum eodem tempore in Germania fuerit non potuit occidisse. Item fecit, sed utilitatis publicæ causa. Difficile est fateor studium iuris: sed habet plurimas maximasque utilitates. Negant quenquam virum bonum esse nisi sapientem: sit ita sanè: sed eam sapientiam interpretatur, quam adhuc mortalium nemo consecutus est.

Abiection

Cum personam vel eius autoritatem, existimationē, ingenium siue doctrinam iustis rationibus flocei pendentes abiicimus. Ut nescis insane nescis quantas vires virtus habeat: nomen tātum virtutis usurpas, quid ipsa valeat ignoras. Laudetur vero hic imperator? aut etiam appelletur? aut hoc nomine dignus putetur? &c. in Parad. Cic.

Dilemma

Cum ex vtraque parte disputando rationesque explicando vel redarguendo, consilium siue factum alterius reprehendimus vel nostrum probamus. Ut si innocens est cur captiuum detines? si nocēs cur nō condemnas? Non admonendum eum esse censeo: nam si bonus

bonus est admonitione non eget, si improbus, nihil profeceris tua admonitione quam contemnet. Item si me tibi quicquam debere putas, cur mihi diem non dicis quo experiri iure possis: sin verò nec beneficio tuo, nec illa te tibi obligatus sum, quid calumniaris quod pecunia m meam tibi non dem. Huic argumentationi affinis etiam illa est. Si nunquam liberalitatis quicquam in te contulisse, num queri de me poteras, qui tibi nihil debebam? non dices: haud æquum igitur est te nunc succensere mihi & iniurium me vocare quod cōferre desierim. Oppositæ autem sunt ad redarguendum rationes quædam mediæ, item distinctione quandoque & inuenio.

Collectio

Est quæ plures rationes continenter adducendo examinandoque & expoliendo, propositi confirmationē sententiam & conclusionem ex illis colligit. Vel quæ rationes omnes & causas rei quæ esse possent enumerando, partimque vel infirmando vel explicatione sol uēdo, eam quæ sola ex aliarum omnium absentia relinquitur & necessariō sequitur colligit. Ut si omnibus adductis enumeratisque modis quibus pecunia honestè acquiri potest, a demonstrato, eorum nullo quicquam acquisiuissime eum, quem ex tenui diuitem subito factum criminamur: quod reliquum est sequiturque necessariō, mala arte cum parasse diuitias colligamus.

Retorsio

Est cùm quod in nobis reprehenditur siue desideratur & obiicitur, idem in obiiciente esse ostendimus. Ut tu meas requiris literas, ego tuas: tu queris cur ha-
etenus nihil scriperim, ed idem tibi ego & multo iu-
stius repono: cur in summo tuo otio maiore opportu-
nitate nihil ad me literatum dederis.

Ad hanc spectant acutæ omnes responsiones qua
par pati referunt. Ut Pompeio ex Ciccone querent;

vbi gener ipsius esset, quem Cæsar is partes sequi sciebat, Cicero intelligens dictū & pari nota retorquens, apud tuum inquit locerum.

Elusio

Cum orator ioco aliquo vel ridiculo causam vel personam vel dictum siue argumentum excipies eludit.

Occupatio

Est cū respondemus tacitæ obiectioni siue ad id quod obiici posse sentimus. Ut At non est voluptatum tanta quasi titillatio in senibus: credo, sed ne desideratio quidem, nihil autem molestum quod non desideres. Sed hic foraste aliquis pecunia studiosior quam philosophia, pauperior est astrologia dicet, nō ditat suos ut jurisprudentia & medicina, non est de pane lucrando. Immo contrà o Philargyre, lucrosa maximè est. Quid enim &c. In Orat. nostra pro cœlesti philos. media. Plura figurarū omnium exempla in optimis quibusque autoribus obuia sunt. In Cicerone, Erasino, in orationibus literatissimi & celeberrimi Jurisconsulti Suffridi Petri Leouardiensis,

De modis varianda & dilatanda orationis.

PLures sunt ad variandum & dilatandum modi. Aut enim verborum & figurarū varietate vtimur: sententias aliis atque aliis verbis modisque proferendo & significando: ad quod pertinet, scire propria synonyma translatitia cuiusque rei significandæ vocabula, & alias quascunq; verborū atq; significationis mutationes: quales sunt iratior p iratus, doctissimus pro pro valde docto, vicimus pro vincemus, prædiceres p prædictissimes, ponere pro deponere, dixerit pro dicet, q scire posses pro quomodo sciri possit: itē omnes eiusdem significationis constructiones. Aut rerū varietate: enumerando causas rei, effectus, species, partes comitantia

tantia sequentia: rationesque singulorum & circunstantias explicitando, exaggerando expoliendoque: itē excurrendo, dum vel res gestas exponimus, vel describimus loca, regiones, res & personas, vel referimus historias, tractamus fabulas, exempla, parabolas, comparationes, iudicia & similia contraria affinia, admiscemus festiuā, vel laudāmus siue vituperāmus genus, locum communē, epithera, vel aliquid rem siue personam contingens: item plura argumenta accumulādo, multiplicādo propositiones, amplificatione gradatim ascendendo & extenuatione descendēdo: item interrogando, dubitando & similibus figuris ornando & expatiando.

Ad hanc autem variandi & dilatandi rationem cōmodè expediendam, necessarium est scire connectendi particulas & trāscēndi modos, siue formulas, quibus cōnectūtur sentētia & de vna in aliam fit trānsitus. Cuiusmodi sunt, primum, deinde, præterea, postremo, denique, huc spectat, porr̄d, quin, quinimo, adde his, dictum est, ostendimus, restat, reliquum est, cum & tum, inquam, quorūm hæc omnia? quid multa, ad rē redeamus, nunc pergam meque ad meum munus pensumque reuocabo, si prius illud admonuero. Magna sunt ea sed nunc māiora audietis, illa quidem utilia, sed hæc quæ sequuntur magis necessaria, venio nunc ad illa. Dixi de genere nunc de speciebus & partibus, sed quò me rapit contemplatio, sed nescio quo pacto huc deflexit oratio, ignoscite auditores optimi dolor me reique indignitas à proposito diuagari cœgit. Et id genus aliæ.

De dispositione orationis speciali tertia tractationis parte.

Dispositio specialis siue collocațio est quæ prudenti iudicio & magna consideratione argumēta sin-

gula verba, rationes & omnia quæ in oratione proférda sunt aptissimo ordine disponit collocatque, vbi maximè decent, maximam vtilitatem habent, plurimum prodesse oratori, maximè nocere aduersario possint.

Est autem huius partis non parua vtilitas. Quemadmodum enim copiosa supellectile omnibusque ornamenti ad ornandam domum comparatis, ipsa tamen dispositionis omnium a ptitudo & concinnitas plurimum perse ad ornatum præstat.

Sic plurimum adiuuat remque haud dubiè meliorem facit in tāta ingeniorum varietate, & multiplici imaginatiæ virtutis, rationis, affectuum animique passionum discursu, non modo deligere propria & cōmoda sed ea ipsa inuenta cōueniēter ordinare. Quod sanè fœlicissimi est ingenij & acutissimi iudicij, rotumque à prudētia dependet minimè vulgari: Namque vis rationis & naturæ hominum, verborum, sententiarum, argumentorum, rerum & affectuum cognoscenda est quid efficiat quousq; pertingat & quādiu duret: tum in oratione vbiique perpendēdum est, quid cogitet iudex, quid quoquis loco eum doceat ratio, quid ex præcedentibus, quid ex consequentibus eorūq; inter se collatione collegerit & quomodo affectus sit: item quid ex ea consideratione quoquomo do prudenter, iuste, benignè, fortiter, probè, diligenter, timidè, humiliter & quasi negligenter, dicēdo, exclamando, amplificando, tacendo, omittendo, simulando vel dissimulando effici possit. Quorum quidem tanta est caue intima prudentia & tāta copia, vt neque explicari facile, neq; describi omnia possint. Quotamen labore etiam supersedendum potius arbitramur, vt in aliis omnibus huius scientiæ intimis arcanis ad viuum resecandis: ne improbis patesiat quæ bonos diligentia portò & virtute consequi posse confidimus, Quamuis vt maximè sciantur, non ita tamen præstari

præstari semper possint. Ut enim recte fiant omnia se
pè in aliis desideratur memoria, iudicij maturitas, do-
ctrina, vñus rerum & prudentia, in aliis repugnat natu-
ra. Quamobrem eloquentiæ facultas donum Dei me-
ritò vocanda est.

De actione.

ACtio est vocis & corporis moderatio ad verborū,
rerum & personarum & causarum conditionem
accommodata.

Maximam hæc adfert utilitatem. Nam si inter mi-
mos & histriones quidam hoc præstat gestu quodam
corporis in causis factis rebusque ludicris, ut deleat, et
concilient, erigant, moueant, fidē faciant, idq; alij a-
liis fœlicius, adeoque ut roscium quendam semper o-
ptē: spectatores, aliquos ne æquo quidem animo spe-
ctare possint: Quid de motu prudentis oratoris dicen-
dum est, qui seria tractat & omnem vim, omnes gra-
duis modisque agendi adamassim tenere debet, quæ-
que causa ipsa adiuuat. Tantum vero etiam teste Ci-
cerone efficitur sensu quodam & ratione dicendi agē-
dique. ut quasi mores oratoris & causæ qualitatem ef-
singat oratio, ipsique oratores ut probi bene morati,
ut boni viri esse videantur: Sicuti enim in pila luden-
tibus ipse motus confessim indicat in ea arte an exer-
citati sint & quidnam valeant: sic in dicentibus faci-
lē appetit præsertim longiore sermone, cuiusmodi
sunt eorum natura: an recte instituti artibusque inge-
nuis instructi & quibus moribus assueti sunt, quid etiā
de causa quam agunt, & ipsi existiment, & aliis existi-
mādum sit. Præclara quidem est æquabilitas, & idem
semper vultus eademque frons, quam in Socrate &
C. Lælio veteres mirati sunt, & in principe Aurantio
uisse ferunt, co qui his paucis annis in Hollandia in-

terfectus est. Sed oratorem perfectum scire necesse est motu subseruire orationi & posse ab illa æquabilitate in omnem partem aptè recedere.

Quid continet alio.

Continet autē actio vocem, vultū, oculos, manus, pedes & reliqui corporis gestum,

Est itaque oratori diligenter eorum omnium ratio habenda, pronūtiationis & oculorum prēcipue, item status si standum, sessionis si sedendum, incessus si eūdum est: ne quid insit nisi decorum, nihil scilicet effœminatum & molle, durum & rusticum: sed omnia ut dignitatem habeant, quæ virorum pulchritudo est, ut venustas mulierum. Dandaque opera ut ex omnibus & singulis prudenter moderandis miscendisque non uno modo, omnes fructus colligere omnemque ex intima prudentia utilitatem querere possit, neque ullam prætermittere occasionē, quæ causæ aliquo modo prodesse posse videatur. Prima autem ut diximus cura esse debet vocis sive pronunciationis, ut sit clara, suavis, sine contentione, nec languens nec canora, nō exilis, agrestis, absona, literæ neque expressæ neq; oppressæ. ut inquit Cicero: & cū in omnibus media sint optima & moderata: vocis sonus ut medium semper teneat: vnde gradatim nunc ad vehementiam ascendere possit intentior acriorque, nūc ad lenitatem descendere remissior, rursumque ad medium se reuocare iuxta ac res postulare videbitur.

Secundum vocem vultus est, qui quidem gubernatur oculis, quos homini natura dedit ad motus interiores declarandos, ut equo & leoni letas caudam & aures. Vidēdum est igitur ut in vultu semper sit æquabilitas & in oculis, ita tamen ut in omnem partem se vertere sciant & subseruire dictioni: nunc scilicet blādiore aspectu lenitatem præ se ferre, conciliare, docere, suadere, deprecari, retinere: nunc intētiore, actiore, tristiore affectus exprimere, admonere, obiurgare,

conter-

conterrere, erigere, detinere: rursumque ad mediocritatem redeuntes probitatem modestiam animique prudentiam declarare.

In gestu manuum, modestia signa requiruntur, omnis abesse debet gesticulatio. Licet vero non unquam in docendo, paululum modo manum protendere, magis vero etiam, si veritas exprimenda, si admonendum, si obiurgandum, si cum autoritate suadendum, si exaggerandum, si affectus mouendi, si intentius quid dicendum est: cum omnia tunc ad maiorem intentionem disposita esse oporteat. Ideoque in deplorando, exclamando & affectibus quibusdam mouendis commodum sèpè est neque indecorum, pectori manum condecenter admouere sublatis in cælum oculis.

In statu, incessu & reliqui corporis gestu requiritur tranquillitas, vitanda vehementia & impetus & pulsatio pedum, & omnes indecori motus ex animi impotentia sive stultitia prouenientes: Vitandus status thrasonicus item incessu tarditate abiectior & celeritate nimius, sesquipedalis & semipedalis: vitanda sessio epicuræa. Si qua vero vehementia vel animi mutatione, & commotio quandoque significanda est, tranquillo & decoro motu & quadam parua saltu consistentiè vel sessionis mutatione ita faciendum est, ut appareat animum vi rei commotum, ratione & naturè probitate le cōtinere & decorum seruare. in incessu tamè affectum magis exprimere licet modo ut honestè & intra decori limites fiat.

Præterea in vestitu eriam & reverentia sive honoris exhibendi modo quædam inest cōsideratio, ut placeant maximè, & ne quid obsint vel desint existimationi oratoris: item in compellandis debito more iis ad quos habetur oratio, adeoque excusatione nonnūquam in his omnino opus est, qua tum captari simul benevolentia potest & exordium sumi.

De quindecim præceptis tractationis.

QVINDECIM tradi possunt præcepta maximè vtilia,
quibus vis tota tractationis præcipue contine-
tur.

Primum est idque generale & vbique obseruandum,
oratorem oportere prudenti consideratione causæ,
loci, temporis, auditorum & eius pro quo dicit &
eius contra quem & suipius rationem habere: vt ad
eorum omnium examinationem elaborata oratio,
venusta sit decens ab omni parte communita & ener-
giae plenissima.

Secundum est, oblectare auditores, vel saltem ita af-
ficere vt ne audire eos tedeat.

Tertium attentos memoresque reddere.

Quartum per totam orationem quam maximè di-
ligenter & acutè docere,

Quintum animos auditorum per totam orationē
leniter conciliare.

Sextūm vehementer & acriter permouere.

Septimum verba, sententias & argumenta suo quæ
que loco cōuenientissimo & maximè commodo dis-
ponere ordineq; idoneo ita applicare, vt ex ipsa col-
locatione aliquid etiam vtilitatis accedat.

Octauum ea maximè querere & eligere verba, ar-
gumenta loquendi formulas, quæ primo generali præ-
cepto ita congruant, vt præter nudam significationē,
aliquam vtilitatem omnia contineant: vt sensus vbi-
que sit plenitudo & vbertas, vbique prudētia rhetori-
ca efflorescat: argumenta energiam suamque ratio-
nem adiunctam subsequentem vel præcedentē: exem-
pla similia commendationem, contraria vituperationem: epitheta emphasis: sententiæ authoritatem:
verba suavitatem habeat: vbiunque commode fieri
potest adsit ornamentum, delectatio, attentio, permo-
tio: tota denique oratio ita densis crebrisque modis
atque omni vigore referra & vndiq; septa sit: vt quoad
cius

ei⁹ fieri potest, ne verbum quidē v⁹lum adesse appa-
reat, quod vel otiosum sit vel non aliquid p̄fet p̄f-
ter simplicem v⁹lum.

Nonum est p̄c totam orationem sedulō & pruden-
ter amplificare sive exagerare,

Dccimum ita illa omnia miscere, vt alterum alte-
ri insit, in docendo scilicet conciliatio, in concilian-
do erectio, in erigendo permotio, in permouēdo cau-
ſe & oratoris commendatio & existimatio: Itē in gra-
uitate sermonis, vt grata quādam venustas & gratia
popularis non absit, in lenitate autoritas retineatur:
Sic in exordiendo, proponendo, argumentando, ex-
aggerando vt plurima semper spectetur & queratur
omni ratione vtilitas, & pleraque omnia duplice vir-
tutem habeant cūm commodandioratori tum nocē-
di aduersario.

Vndecimum, videre vt actio, vocis & gestus mode-
ratio his rebus ne desit vel oblit⁹, sed adiumenti etiam
aliquid adferat.

Duodecimum efficere vt auditores confessim sin-
gulare aliquid habent propositum (si modō ea est
causa ratio vt expedit) cuius memoria & considera-
tione intendere animum, itaque subinde per totam
causam discurrere possint: item aliud quiddam cuius
expectatione, in attentionis diligentia & audiendi de-
siderio retineantur.

Decimumtertium ita dicere & agere ita moderari
omnia, nequa sit suspicio artificij.

Decimumquartum memoria diligenter omnia
separe.

Decimumquintum est aduersarium aliqua subtili-
tate in causæ aliquem locum iniquum perducere: quo
deinde facilius conuinci vel maiore impetu & clario-
re p̄cipitari possit.

De primo precepto.

Hoc quin' maximè necessariū sit ambigi nō potest. Est enim intellectu facile, non idem semper & vbiique orationis genus conuenire. Et plurimum in dicendo interesse qui audiāt: Rex, Princeps, senatus, an populus, an iudices: frequentes, an pauci, an singuli: docti, prudētes, acuti, sc̄nes, occupati, an imperiti, rudiōres, iuuenes, adolescentes, otiosi: theologi an aulici, an milites: Item Itali vel Germani, vel Hispani, vel Galli, vel Belgæ, vel Angli: cū suos quælibet natio mōres proprios & peculiarem ferè vitæ & naturæ rationem habeat. Sic interest haud dubiè quales ipsi oratores sint, qua ætate, existimatione, quo honore & autoritate: item sitne tempus pacis an belli, festinacionis vel otij, lætitiae vel doloris: & similiter cuiusmodi causa sit: & quo loco habeatur oratio, an Lacedæmonie, an Athenis, in schola, in vrbe vel in pago, celebri vel obscuro, plausibili vel odioso. Quorum omnium recta consideratio dicendi agendique varietatem requirit, multaque in omnem partem commoda per se suppeditat, & incomoda quæ sint declinanda ostendit. Aliter sanè tractanda sunt seria vbis leuitas requiritur, aliter vulgaria & iocosa vbi lepos, aliter ironia vbi acerbitas. Aliter honorandi & compellandi principes aliter nobiles, aliter plebei, aliter superiores, aliter æquales vel inferiores. Aliter laudandi iuuenes, Senes, ambitiosi, aliter & tectius quidem magisq; figuratè prudētes grauesque viri, morosi & leuiores. Aliter senem inducimus loquentem, aliter iuuensem, nimirum naturam cuiusque quam maxime imitando & exprimendo.

Est igitur sagaci animo ad hoc preceptum tota oratio instituenda, examinanda & moderanda. In quo non æquè omnes sc̄lēces sed alij aliis præstantiores sunt: posse enim in omni re & vbiique quod deceat facere, artis est & naturæ, scire autem quid quandoque deceat, incomparabilis cuiusdam prudentiæ.

De secundis

AD delectationem auditotū pertinet, vt oratio sit ornata, illuminata verbis, variata sententiis, augeaturque subinde & dilatetur, vtque sensus habeat: nimur ut non sit inulta agrestis, horrida, iejuna, exilis, vulgaris, obsoleta, sed propria, suavis, eruditā, dilucida, liberalis, admirabilis, polita, grauis & rerum varietate iucunda.

Primum itaque verba sive propria, sive translata, aurium iudicio etiam ponderanda sunt, & eorum constructiones: vt commode fluat, vt suavitatem habeat, & proprietatem ytilem: quam quidē adfert ratio, docent literæ, confirmat consuetudo & diligentia legendi & loquendi. Ut exempli gratia Non enim solum ipsa fortuna cœca est, sed eos etiam plerunque efficit cœcos, quos complexa est. Melius facilisque fluit, quam. Non ipsa fortuna enim solum cœca est, sed eos cœcos efficit etiam plerunque quos est complexa. Deinde prudenter ex primo generali præcepto iudicandum & circunspiciendum est quibus potissimum sententiis, rebus & modis vtrendum sit, quid ex natura causæ ex circumstantiis, ex personis sumi ad oblectationem & commodissimè adhiberi possit.

Præterea variāda est oratio verbis, sententiis & rebus: varietas enim oblectat, detinet, renouat, reficitq; neque satiari ita facile auditores, neque defatigari patitur similitudinis satierate. Ad hanc varietatē pertinet ornare, dilatare, amplificare, colores variasq; figuratas adhibere, cōparare, excurrere, aliis atque aliis verbis & constructionibus vti: proponere aliquādo & ex locis omnibus concludere, quandoque aliquos eorum relinquere & aliò transire, quandoque non proponere, sed ratione afferenda quid proponendum fuerit ostendere. Item admiscere interdum quedam admiratione digna breves historias, fabulas, exitus rerum

R H E T O R I C A

notabiles: interponere colloquia personarū, variisq;
animorum motus & affectus exhibere,

Ad miscendi etiam sunt iucundi sententiarum flo-
sculi, & auditores quandoque ridiculo aliquo conde-
centi & moderato recreandi ut facetiis locis, gestu, i-
mitatione & voce etiam. Sicuti nos olim Louanijs in
oratione de locorum proprietate lusimus, cum dice-
remus: probè quidem illis hoc notum est qui dicunt:
fœlix Louanium ubi rapæ ad mœnia crescent, Loua-
nium per longum pronunciauiimus, gallicæ linguae
modos & accentus seriamq; in re vulgari intentionē
imitati sumus. Videndum verò semper ut ioci sint cle-
gantes ingeniosi urbani, faceti, careant acerbitate &
maximè citra aliorum iniuriam fiant, & ne nimis sint,
vel petulantes flagitosi, illiberales obseceni.

Præterea laudes auditorum nonnunquam tangen-
dæ & intermiscentæ sunt, quandoque aperte, quan-
doque dissimulanter.

Proponenda etiam ea quæ ad naturam eorum ma-
xime accommodata sunt, ut in locis generis delibera-
tiui diximus: item quorum cognitionis desiderio ca-
piantur: quo loco utile est orationem, si res patitur, à
priuata & singulari controversia ad vniuersitatem generis
vim explicādam cōuertere: ut qui audiunt, natura ge-
nere & vniuersa re cognita de aliis omnibus eiusdem
generis causis statuere possint: qua generali cognitio-
nis facultate adipiscenda lætanur.

Postremò ad delectationem pertinet, vocis mode-
ratio, gestus concinnitas, oculorum motus conde-
cens, & venustas animique alacritas ad naturam audi-
torum caue quæ in primo præcepto descripsimus ac
commodata.

Quanam sit in varietate adhibenda cautio.
VT eiusmodi eligantur, quæ causæ & intentioni o-
ratoris maxime affinia sunt: eaque ipsa, quæcūq;
variandi

varandi tantum & ornandi vel delectandi causa adhibentur, non nimis prolixè producantur, neque modū excedant: ne auditorum animi alienæ varietatis copia obruantur & contenebrentur vel distrahanter, & nimium à causa auocentur.

Præterea ut maximè cogitet orator suam & auditorum longè diuersam esse sentiendi causam siue rationem, & quod ipsum delectat propter laudem, spem victoriae, & intentionis ardorem, nō perinde delectare audientes quibus illa cause non adlunt.

Quo remedio Grendum si si oboratur audiendi tedium.

Maximè quidem atque omni ratione ut diximus prouidēdum est ne id fiat. Verum quia omnibus in rebus (ut Cicero docet) voluptati maximæ fastidium finitimum est, ideoque non possit oratio in diu turna permanete delectatione, quod sensus nimirum in nimia voluptate et si non mente, natura tamen patientur. Idecirco si tedium oboriri contingat (quod quidem prudens orator facile considerabit ex oculis & gestu auditorum & ex suo ipsius quoque sensu) statim incidenda est oratio & transferenda ad proximè subsequentem partem, vel omnino perorandum est, ita tamen ut peroratio tunc tangat obiter agatque succinctè omnes partes reliquas vel quæ potissimæ & præ aliis necessariæ videbuntur: item doceat conciliet permoueat modo maxime efficaci. Inter ea vero breuitate promissa & conclusione, animi auditorum aliquo graui leporę vel alicuius rei quæ illos afficiat recitatione refocillandi & exhilarandi, vel in rucundam aliquam expectationem siue admirationem ducenti sunt: admiratio enim aliquam fere delectationem in se habet, tenetque auditores, ut expectatio ac deinde rursus ad cauam vis omnis orationis con-

uerienda est.

De tertio precepto.

AT trenti auditores redduntur memoresque iisdem fere modis, quibus delectantur. nisi quod hic maiore omnia grauitate fieri debet. Præterea autem cōuersis ad ipsos uerbis, ut audite īā obsecro viri humanissimi præsertim si tūc pmissio quādā vñā adhibeat, cuius expectatione magis erigantur teneanturq;. Item si Deum inuocamus, vel per sonam aliquam loquenter inducimus: vel si mirabilia intermischemus iucundis: vel si ea proferamus, quæ laudis, honoris dignitatis recordatione & titillatione aliqua eos afficiant: vel si nostram de ipsis expectationem & existimationem ostendimus. Maximē autem hic & peculiari ratione valet expectatio cuiusdā promissi & cognoscendi desiderium, vel admiratio vel nouæ cuiusdam rei propositio. Ut si cum eo puncto in quo tota vis cause versatur, mirabile aliquid siue reconditum & nouum cognituque dignum colligemus, vel historiam aliquam non absimilem proflus, cuius exitū notabilem promittimus extrahimusque ad finem orationis usque.

Licet etiam fixo quodam oculorum obtutu attentionem efficere: graui quidem & molliter acri in iunioribus, ut ipsos ad honoris & officij memoriam vocemus: in maioribus verò & magnatibus molli omnino & suavi, ut ipsorum mentem blanda subeat negligētia & accusatio eiusque quasi deprecatione, præsertim si ipsa quoque tunc accommodetur oratio, de ipsis præstātia & laudibus quādā vel quæsita & facta, nostrumque de iis iudicium referendo. Oculi tamen ita moderandi sunt: ut & admonendi energiam habeat, ita tamē fixi possint videri propter orationis cursum. Quandoque etiam aperiè licet (habita ratione corū quæ in primo generali præcepto dicta sunt) auditores attentionis admonere, rogando vel blande obiurgando.

gando & deplorando. Verum in hoc casu erectis animis statim subiungi debet quædam oblectatio, consiliatio vel permotio.

Necessarium denique hic est, ut orator circumspiciendo prudenter, vocem, vultum, oculos, gestum parata semper omnia habeat & intenta ad excitandum, idque ipsum commode nunc leniter nūc acriter facere sciatis possitque.

Cautionis loco sciendū est nimis multa verba praesertim de eadem refastidium patere & attentionem tollere, ideoque eos locos easque rationes potissimum quærendas & sumendas esse, quæ in quavis re maximè ferunt animos maximam efficiendi vim, habent & modum minimè vulgarem,

*De quarto precepto quod adornatē auctē-
gue docendum pertinet.*

Hoc præcepto omnia causarum genera completiur & quæcumque in iis siue rationes siue argumenta vel obiiciendo vel respondendo explicanda sunt.

Est autem hic imprimis necessarium ut et causam omnesque circumstantias cognitas penitus animo ac memoria contineat, eosque locos maximè qui extremam habent in docendo & demonstrando, probando, refellendo, laudando & deliberando facultatem. Ut exempli gratia, in laudationibus sumēdæ sunt res aucte magnitudine præstātes, aut nouitate primæ aut generi ipso singulares: Neque enim paruæ & vilitatæ admirationem habent, neque quid expectatione dignum afferunt neque efficiunt.

Deinde ut obscuritas vitetur praesertim in narratio ne. Ut ea que declaranda sunt, verbis vilitatis proferantur proprieque demonstrantibus, minimè ambiguis, non nimis longa continuacione verborum, nō vnde

productis iis quæ similitudinis causa ex aliis rebus transferuntur, non discep̄tis sententiis, non præposterioribus temporibus aut confusis p̄sonis non perturbato ordine.

Præterea cogitandum est (quod Cicero docet) male se rem siue causam habere quæ non statim melior fieri videtur ideoque confessim expectationi audiendum aliqua energia succurrēdum est, & omnino prouidendum ne tedium audiendi exoriens occasionem docendi perturbet. Quod si autem causa minus bona appareat prima fronte, vel odiosa fortè sit per se minusque grata, necesse est orator principiò statim orationem aliqua ratione commēdet cur scilicet defensat, vel ut causam aliquo modo bonam demonstret, vel cum aliquo bono cōiunctam. Deinde vero primo illo motu sedato, artis est occuliè scr̄pere, illud quod malum ut omnino bonum videatur.

Confert etiam plurimum ad docendum, vagari latissimè & a priuata ac singulare controversia ad universi generis vim fontesque ipsos aperiendos se contere, ut iij qui audiūt natura generali cognita facilius de speciali iudicare possint. Porro si respondēdum erit, primum quidem necesse est aduersarium orator attente audiat, eiusque non modò sententias, sed verba etiam excipiat, omniaque orationis capita notet, vultum denique perspiciat, qui animi sensus plerunque index est: tum examinatis ponderatisque diligenter omnibus ideat, num inde in suam utilitatē transferre quid possit, vel aliquid in probationibus eius reprehendere, vel infirmare, probabilius quid vel æque probabile & graue afferendo. Quod si autem inficiatio nilocus nō est, vel ita quid unquam fuerit molestum & difficile ut responderi nihil possit, vel vbiunque tandem in docendo etiam locus occurrat refutatu difficultior: videndum est primum quidem, possitne illo modo vel artificiose serpendo emendari, vel syn-

ches

chesi quadam præteriti, vel retrorsione subleuari, vel si nilitudine comparatione, delectatione, historia aliqua iucunda & admirabili, meriti alii cuius relatione, vel interpretatione commoda, vel quavis alia ratione siue excusatione emolliri, vel etiam facetiis eludi: Sin minus, ut quantum fieri potest pugnæ similis figura sit, leonina scilicet non leporina, si modo spes aliqua reliqua est, vel ita expedire videatur: Ultimo autem loco ubi omnia alia deficiunt, veniant purgatio, translation & deprecation. Quæ tamen antè etiam si res fuerat admisceri debent obliquè.

Cautionis loco hic admonendum est, ut ne in rebus leuioribus & intellectu facilibus docendo diu habeat orator pluribusq; verbis explicet quæ in cōmuni & vulgari sensu posita facilè percipiūtur, sed leuia argumenta & communia prætermittat nonnunquā, & ubique præsertim in genere docendi suasorio moderationem primi præcepti adhibeat. apud sapientes ostentationem vitet, in lenitu vel ad principes minori apparatus agat, & quanto occultiore tanto intentiore & maiore artificij subtilitate: eorum prudenter extollat, eur autem ipse ad dicendum processerit alias quasdam rationes honestas adferat ex causæ & personatum natura & circumstantiis sumendas: per tuasum ab aliis non libenter hoc munus suscepille, non potuisse denegare amico clienti, probo, honestissimo viro: item cum ipsi melius multò videant omnia, neque consilio egeant, sed abundant potius, testatum tamen voluntate consilio tuo explicando amorem & fidem suam erga patriam principem salutemque publicam: orare igitur hanc sibi veniam dent, ut eius consilij quod sua sponte ipsos velle & intelligere non dubitet rationes recenseat, & examinandas ponderandasqne proponat, quas ipsi fortè nō omnes & minus facile perquirere possint propter grauiora negotia, & occupations plurimas, vel propter affectum aliquem iustis-

Si numerogate etiam ut boni consulant quæ ab optimo sanè fidelissimo deditissimo que animo proficitur, & si quid in iis defuerit, ut ipsorum prudentia & iudicij maturitate suppletur. Omnino enim apud eiusmodi personas in consilis dandis prudentius agendum est: nolunt enim doceri senatores principes & magnates ea quæ iudicij & rationis sunt, nolunt videri eguisse alicuius ptudentis virti consilio, cum tamè nescire & discere turpe non sit sed discere nolle. Quis enim doctus & sapiens nascitur? neque verò etiam honorifica munera, speciosa nomina, magnifici & superbi tituli, sapientiam tribuunt, sed doctrina. Sine qua nemo quantumvis præcellenti ingenio, scientiâ acquirere poterit, non earum rerum deo quæ a communis sensu remotiores in subtilioribus artibus versantur, sed earum quæ consilij sunt & in dicendi agēdique & expediendi ratione posita. Nā ut alia nunc omittam argumenta, ad quid ethica philosophia & tot de officiis, de moribus summo labore conscripti libri? Ad quid topica & duæ artes liberales rhetorica & dialectica? quæ amba ab ingenio & vi rationis dependent maximè, frustra earum præcepta magna prudētia inuenta & diligentissimè tradita sunt, si omnia illa in geniis, sine doctrina labore & studiis sciri & explicari possunt. Nunquam profectò fuissent summorum philosophorum & sapientissimorum virorum tot subtilissime disputationes de ratione viuendi, de honesto & utili, de virtute: Nunquam essent diuersæ in consiliis, in rebus gerendis, in disceptatione de iustitia & iure sententiae, si omnia & optima quæque in geniis obvia, nihil in inueniendo & intelligendo difficultatis haberent, Quod si verò vltcrius etiā ipsam sapientiæ rationem cōsideremus & ingenium si in solitudine extra omnem hominum consuetudinem educatum fuerit nihil scire posse, tunc demum clarissime intelligemus labore illud literis, vsu, auditione exer-

exercendum esse, & quasi fertilem agrum quo melius diligentiusq; excultum fuerit eò plura & meliora minusque spinola reddere. neque quenquam ita esse sapientem, quin & errare & aliquid semper ex immensa sapientiae facultate addiscere possit, ut Bias ille unus de septem Græciæ sapientibus qui se quotidie aliquid addiscentem lenem fieri non dissimulauit. Dignum igitur est viro principe (cui plurima nimis expedienda sunt) tum ipsummet doctrinæ & sapientiae operâ dare iudiciumq; ad vim rationis percipiendâ acuere, tum (quod Agamemnoni regū regi haud in honestum fuit) habere aliquem in consiliis capiundis Nestorem, virosq; doctos souere, & audire libenter, quorum labore in inueniendis cuiusque consilij & explicâdis rationibus ut possit, quas ipse deinde minore negotio ponderet, cōferat inter se & dijudicet, itaque auditis examinatisque omnibus optima semper excerpta statuatque. Sapientem vero doctumque virum necesse est modestè quidem semper apud superiores, plerunque vero etiam que maximum intēdit ita tamen agere eaque moderatione ut agere minus videatur.

Præterea cauedum est in docendo ne aduetis quædam populi acclamatio excitetur in concione: quod sit (ut Cicero ostendit) aut orationis aliquo peccato si aspere, si arroganter, si turpiter, sordide, si quoquo animi vitio dictum aliquid videatur: aut hominū offenditione vel inuidia, quæ aut iusta est aut ex criminatione atque fama: aut res si displicet: aut si multitudo est in aliquo motu suæ cupiditatis aut metus. Item si iocuſ quandoque & facetiæ adhibentur, ratio primi præcepti diligenter habenda est & vidēdum ne grauitas minuatur, ne iſus nimius oriatur, nisi forte commodum sit eo modo causam obruere siue disoluere.

Ad acclamationis autem istius strepitum & incom-

moda tranquillāda, quatuor sunt medicinæ, tum ob-
iurgatio si sit autoritas, tum admonitio quasi leuior
obiurgatio, tum promissio si audierint, probaturum,
tum deprecatio, quæ quidem utilissima est si quid e-
iusmodi sine culpa oratoris interuenerit.

Ad regendum verò & quiescendum r̄sum qui de-
dita opera, recreandi gratia excitatus est, maximè va-
let si gratia alicuius rei vel nouæ & admirabilis men-
tionem subiiciat orator, vultuque ad grauitatem cō-
posito, oculis & gestu aliquo magnum quiddam se &
& non vulgare sive aliquid valde placitum adferre
significet.

De quinto & sexto præcepto tractationis.

HÆc duo præcepta vsum habent minimè vulgarē,
& comprimis vtilia sunt. Maximum enim est in-
dicēdo, quod inquit Cicero, ut si qui audit, faueat o-
ratori, itaq; moueatur ut impetu potius animi & per-
turbatione, quam iudicio & consilio regatur. Hoc i-
gitur, ut mente teneatur, primum sit inter ea quæ in
his præceptis querenda & obseruanda sunt. Et opta-
dam quidem hic est oratori ut ipsi iudices aliquam a-
nimorum permotionem ad causam adferant, quæ si
datur, arripienda eique maximè insistendum est.

Secundo loco requiritur (cūm conciliatio lenita-
tem permotio vim postuleat) ut utroque modo orator,
leniter summisse, fortiter acriterque & promiscue vti-
sciat possitque.

Tertiò cognoscendi sunt animi audiētum vultus-
que omnes diligenter perspiciendi & sagacissimè odo-
randum, quid sentiant iudices, quid existimant expe-
cient velint, quid deduci oratione facillimè, quo asse-
stu potissimum meueri posse videantur.

Quartum est prudenter considerare quidnam po-
sula causa, quid personæ, quid omnes circumstatiæ.

Neque

Neq; enim paruis in rebus magna^e permotiones, neque una semper eademque ratione hi affectus apud quoscunque adhibendi lunt.

Quintum ut principio leniter tantum impellatur iudex, inclinato autem incumbat porrò instetque reliqua oratio.

Sexto loco sciendum est maximè fructuosam hic esse exaggeratione item hypotyposyn cū ita cōmemorantur, ita ad viuam exprimuntur omnia ut ipsa quasi rei imago in oculos auditorum incurrat: plurimum etiam conferre, si res ferat, praesentes aliquos habere ut rei propinquos qui sua præsentia & sensuum similitudine vim orationis adiuuent. Sensus enim sensum mouet, simile similia.

Septimo loco est non modò vtile sed semper ferè necessarie, iisdem sensibus oratorem permoueri quos in iudicibus optat & excitare intendit. Quod quidem facile contingit ex ipsis locis quos tractat & ex natura orationis, ut simulatione opus non sit adiuuat etiam existimatio ingenij, victoriæ cupiditas, item officium diligentia, commissi & suscepiti muneris ac datæ fidei recordatio. Si vero simulandum est, modum & rationem suppeditabit industria, ingenij & iudicij prudenteria, vsus rerum nature quo aptitudo & exercitatio.

Præterea ad hæc precepta pertinet, cùm in concione semper varijs sint animorū sensus, ut orator ea queat sumatq; maximè, quæ generaliter omnes afficiantur concilient permoueant, vel maximam saltem auditorum partem & præstantissimos, ita tamen ut tu in cæteros etiam non unquam distribuat, quo tanquam melliflūx orationis vberiate perfundatur & jusque dulcedine fruantur omnes.

Postremū decet si quid acrius quandoque odio & acerbitate persequitur orator, ut quasi inuitus, vel iusta aliqua ratione coactus facere videatur. Quod ipsum maximè ad verborum vocis vultus & gestus artificio-

sam moderationem pertinet: quibus nimirum pudoris & probitatis significatio omniaque animi indicia representari & exprimi possunt.

Cautionis loco habendum est, ut in affectu aliquo excitando non insit una alius affectus cause contra-rius sive ratio ylla minus commoda, ut in conciliando, incommodum est, eorum quos ob benefacta diliggi volumus, laudem & gloriam (cui maximè ut diximus inuideri solet) nimis efferre. Sunt igitur hic ex virtutes omnes fructuose maximè habentque commendationem utilissimam quæ non tam ipsis qui eas habent, sed generi hominum prosunt, ea gratissima auditu quæ aliis frugifera, ipsis autem laboriosa, periculosa aut certè gratuita sunt. Ut si quid fortiter fecerint sine præmio ac emolumento. Sapientia vero, magnitudo animi qua omnes res humanæ geruntur, parum in conciliando valent, tenues etiam & pro nihilo putantur: sic vis ingenij in excogitando & ipsa laus eloquentiae, admirationis multum iucunditatis minus habent. Ea igitur ubique adhibenda sunt quæ exquisitam habeant & perfectam ab omni parte rationem. Præterea cauendum est ne perpetuo immoderato afficiendi studio & nimis longa continuatione vel incepta vehementia, laxetur affectus energia atque euaneat.

De septimo precepto,

DE hoc præcepto satis dictum est in capite de dispositione speciali.

De octavo precepto.

Hoc totum spectat prudentiam oratoris & diligenciam: ut nimirum copia verborum & reru instrutus, omnifaria doctrina & plurimo rerum usu imbutus, animi vigilantia praestans & in omnem partem promptus sciat possitque circunspicere, ponderare & dijudicare.

dijudicare prudenter omnia idque ipsum faciat diligenter.

De nono precepto.

Maxima est huius præcepti utilitas: nimis ut similitudinem alicuius rei facti argumenti propositionis & narrationis significationem subsequens amplificatio pluribus grauioribusque verbis & ampliore ratione exaggerando, quasi vi quadam ac impetu maiore protrudat imprimatque in auditorum animis. Sed de hac latius dictum est in præcedentibus.

De decimo precepto.

Hoc quoque præceptum summam requirit orationis prudentiam diligentiamque. Ad hoc autem pertinet deliberare aliquando cum auditoribus, quod eos & attentiores facit memorisque & conciliat neque minus docet. Eadem ferè præstat inuocatio Dei. Sic in admiratione & summa laude si adsit umbra quemdam & recessus, magis etiam gratiusque & favorabilius, id quod erit illuminatum, extare & eminere videbitur. Ut si sapiens à laude suæ virtutis recedat modestè, prudenter & artificiose, honorem in alios transferendo vel cum illis communicando, eo ipso cā auger ampliorem maioremq; facit minuitque inuidia.

De Undecimo precepto.

Orator omni diligentia, cura, animi attentione, vocem, vultum, gestum ita moderari, ita ad rationē primi generalis præcepti & ad causā utilitatē conformare debet, ut ne ex hac parte, vel ipse vel causa nostralis videatur qualem videri vult, vel non efficiat siue aliquo modo aberret ab eo quod propositū est quod-

que intendit maxime Quam obrem siquid natura de-
est, arte diligenter supplendum est.

Cautio est, primū ne actio vñquā cum maximè
requiritur, exhausta & consumpta præcedē: i motude-
siceretur.

Item cum ita natura comparatum sit vt qui ad di-
cendum accedunt solent fere initio conturbari quo-
dammodo, & vt quaque optimè dicit ita maximè di-
cendi munus, varios cuentes orationis, hominum-
que iudicium pertimescat: Videndum est sedulò vt ti-
mor ille sive pudor non obsit orationi sed probitatis
cōmendatione prosit. Præterea cogitandum est ma-
gna saxe intelligi ex paruis ex oculorum obtutu, su-
perciliorum aut remissione aut contractione ex mo-
sticia, hilaritate, ex risu, ex locutione, ex reticentia, ex
cōtentione vocis, ex summissione aliisque similibus.
Ea igitur sit in oratore, sive propram causam agat si,
ue alienam, animi constantia, prudentia & æquabili-
tas sensuumque moderatio & præmeditata confirma-
cio, vt nihil mutetur nisi de voluntate ipsius & consi-
lio, etiam si se indigna audiat vt grauitatem retinere,
iracundiam repellere & moderari affectibus possit:
maximè autem siquid vñquam fortè cōtra ipsum, vel
magni ponderis, vel nouum & singulare, ab aduersa-
rio vel ab ipso iudice adferatur, & nec opinati præter
expectationem obiiciatur, 'ne cum aliqua immuta-
tionis sive perturbationis significatione causam dete-
riorem faciat: multa enim vt inquit Seneca turbatus
solet detergere vultus: sed eodem semper vultu, immo-
si fieri potest maiore contrā alacritate, blanda graui-
tate gestaque congruo autoritatem rei eleuet facilē-
que esse solutionem ostendat, & exortam sive conce-
ptam opinionem ipsa vultus soliditate reprimat com-
pescatque. & tunc quidem è vestigio, loci adhibendi
sunt ad respondendum maximè efficaces.

Præterea si quandoque aduersarium attētius audis-
orator,

orator, verba excipit vultusque omnes diligenter considerat, dissimulanter faciendum est, ne qua eius obstat, suspicio, neue aduersarius sibi aliquid proficeret videatur maioremque cōcipiat spem & alacritatem: nisi force de industria, ubi commodum videbitur ingenij & diligentiae aliquam opinionem excitādo, auditorum animos magis erigere, seque ipsis virtutis estimatione commendare, vel aduersarium eo modo ludere.

De duodecimo tractationis precepto.

AD hoc pertinet colligare causam totam vel partē eius siue argumentum præcipuum cum re aliqua cuius vel expectatio vel admiratio, vel delectatio memoriā auditorū subinde renouet, nec patiatur eos à cause cōsideratione discedere: vel generale aliquid proponere causā accommodum in quo insit quiddā cuius cupiditate & cognoscendi studio auditores vel iudices expectent, notent, considerent, causamq; decisam velint: vel ea querere, referre & admiscere sēpius, quæ affinitate aliqua vel similitudine conditionem cause tangent eiisque argumenta & rationes illustrent, & in memoriam reuocent.

De decimotertio precepto.

SVspicio artis oratori præsertim in causis iudicariis maximè aduersa est: offendit enim animos iudicū, sinistram opinionem mouet, & aduersarium alacritatem firmoremque reddit. Nequeverò solum in ipso orationis cultu nocet, sed post etiam victoriam lādit commaculatque: siquidem veritatis vigore potius quam arte victoria parta videri debet.

Videndum itaque est ut ars, siqua adhibetur ad naturam proximè accedat, & ut naturā moueat: ideoq;

ita temperentur omnia, eaque vocis vultus & geslus moderatione exprimantur, ut a natura & ex vero cauſe instinctu procedere videatur, neq; effectu careant, utque non modo suspicio auertatur omnis sed etiam stoica simplicitatis quædā opinio potius exuscitetur, maximeque appareat & intelligatur oratorem, veri honesti, rectitudinis & sinceritatis studiosum ac defētō forem esse acerrimum, odissē verò omnia contraria. Ars enim, cū a natura profecta sit, nisi naturam moueat & delectet, nihil egisse videtur, immo obfusile & sciplam nudasse.

Primum igitur hic sit curare omnimodo ne percipiatur siue in luspicionem veniat artificium, & quæ de industria fiunt, natura ut facta putentur & afficiendi vigorem habeant.

Secundo loco cogitandum tamen est percipi posse, & quomodo quaque ratione id fieri, & quid ab aduersario artificiosè opponi possit consideradū. Eouique enim a præclaris oratoribus prospiciendum est ut etiam contrarij artificij rationem habeant, eamque adhibeant cautionem qua illud ipsum aduersarij artificium discutiatut. In quo summa artis excellentia consistit & prudentia.

De decimoquarto precepto.

Hoc preceptū èd spectat, ut orator non modo memoriam exerceat eiusque iuuandæ rationem ex cogiter presentique animo dicat, sed ut faciat memine ritque ciuiusmodi omnia præcepta semper ante oculos esse habenda & mente defixa. Ad memoriaz autem firmitatem iuuat, primum totam causam eiusque intentionem, rationes, modos, fundamenta & fontes penitus cognoscere, item timorem, pudoremq; inutilem qui confundere solet meditata, quā maximè exclude re, atq; animū victoriz desiderio & ardore intendere.

Deinde

Deinde totam orationem in certa capita nō nimis
lōgo interuallo distantia, & hēc rursus singula in
certas partes commodē dispositas certisque rebus no-
taras distinguere: vt ea omnia eorumque ordinē, qua-
si signa lōgi cuiusdam itineris proposita habeat, quo
rum vnum cum p̄terierit, sequens statim a longē se
ostendat: ideoque nec aberrare facile et si aberra-
rit in viam redire possit.

Dicitur decimoquinto precepto.

H'iusmodi sunt, differendi & argumentandi subiecta:
litas & simulandi quēdam ac dissimulandi soler-
tia, p̄fserit si glorioſior sit aduersarius rudiorque.
Vt si quid scire dissimulemus, vel si dictum, sententia,
argumentum aliquod sive alicuius rei propositionem
timere simulemus, idque artificiosè quasi minus in-
dicendo & in rebus versati vel quasi imprudentes o-
stendamus, quod maximē adductum cupimus: foris
quia aliquid ei maximē contrarium habemus & effi-
cax antidotum cuius memoria obsoleta videri possit,
vel quia aliquam ex eo vincendi occasionem arripe-
re, vel quicquam inde in nostrā vtilitatem quocunq;
modo transferre speramus. Cautio his opposita est, vt
eiusmodi quid fieri posse sciat orator: ideoque na-
turam, ingenium dicentis & communem de eo exi-
stimationem perpendat: idque quod date videtur,
non facile accipiat nisi examinatum exploratumq;
& antequam in omnem partem cogitatione circun-
spiciat, quid adferri, quid respōderi possit: vel alioqui
contineat se intra suę cōmentationis septa, ea tamen
iudicij prudentia, vt ne stulte cauendo, occasionem
bene gerenda rei p̄terlabi sinat.

Sunt p̄terea aliamulta scitu vtilia, necessaria &
obſeruanda maximē, oratoris industria p̄tò in his

præceptis inuenienda & cōsideranda: vt in principiis
& fine orationis ponātur firmissima: verisimilia, que-
sita, affectata, effeta, simulata ac dissimulata vt pru-
denter commodeque vestiantur, & artificiose nuda
apertaque relinquātur de industria: ne versus in ora-
tione efficiatur coniunctione verborum, imminuit
enim orationis vim, grauitatem & causā intentionē,
laxatque attentionem auditorum: item (quod in
priore libro admonuimus) vt dialecticam differendi
explicandique rationem teneat, sciatqne dividere in
genera, illa partiri in partes, deinde vim generum &
partium definitione ostendere, circunstātias, effectus,
omniaque causam siue rem quoconque modo attin-
gentia adducere, & sicubi simile quid adferat, illud
primum vt confirmet munitaque deinde quid agit
aperiat: item vt naturas cuiusque generis hominū ea
rūq; modos, fines, gradus, colores, vmbras & recessus
cognoscere propriisq; signis notare & dilacerpete stu-
deat: quemadmodum in Gnathone Terentiano &
Thrasone videre est, vt semper augeat assentatio id
quod is cuius ad voluntatem dicitur vult esse ma-
gnum, & quo pacto laude & assentatione excitentur
capianturque glorioli, naturam vt ipsi tuam indicet:
item in iudicio Salomonis quanta vis sit & quæ natu-
ra materni amoris. Quorum cognitio utrilibetima est
maximamque vim habet adfrestè iudicandum, ad di-
scernendum, ad depræhendendum, ad afficiendum, ad
ludendum & ad argumentandum. Pertinet etiam ad
oratoris industriam, & necesse est, vt in omnem partē
intentus, si occasio aliquacommoda in dicendo se o-
stenderit, siue tempus, res, locus aut interuentus ali-
quis aut interpellatio, aut dictum aduersarij, forte a-
liquid obtulerit, non derelinquit, sed confessim arri-
piens in suam vtilitatem transferat: item vt memine-
rit auditores vitia plerunque acutius notare, firmius-
que retinere, quam ea laudare quæ recta vident, itaq;
si quid

Si quid est in quo offenduntur, id scire ea etiam obrecte que laudanda sunt: præterea necesse est ut verborum obliteratatem, laconismum atque (in dicendo quidem) inanem contracti sermonis elegiam & subtilitatem vitet. Verum ita tamen breuitati studeat, ita verborum sententiærumque delectu orationem accidat: ut & plenissimè ab auditoribus omnia & facile non moleste, uberiorisque potius quam contractius constructa, complexa & coniuncta percipiantur: & nequa otiosa, superflua & ad inanem modum ostentationem adiecta videatur, sed vel significationis lumine, proprietate, demonstratione, lauitate, vel aliquo commodo ornatu, vnu & energia ad rem faciant omnia, nisi forte ea causa sit, ut auditores is locus ea dicendi ratio, ut in sermonis elegia, verborum copia, varietate & multiplici constructionis pompa, vel in plautina phrasi & concisa breuitate scopus orationis consistat.

Rectè autem hic de vitanda verborum superfluitate admonendum esse duximus, ut vna aliquorum in loquendo immodestiam notaremus & stultitiam. Sunt enim quidam ira ad loquendum prompti, insolentes & tumidi, ut etiam in sermone familiariter, verborum luxurient superbiantque copia & affectatione, in recensendis rebus vulgaribus, siue interpretandis iis, quæ nota tatis, obvia cuique & explicatu sunt facilissima, diutius hærent, adeoque modum non seruent, ut aliis quoque dicendi facultatem non faciant. Eaque ubertate inepta plurimum sibi applaudunt, quasi etiam magnum quiddam præstiterint latine loquendo. cum tamen nihil sit facilius quam vel ex sola Terentij & epistolarum Ciceronis lectione usum linguae latine consequi, præsertim vero ipsis, qui minimè aliis ullis artibus eruditæ, nullis sapientiae studiis occupati, nulla doctrina imbuti omnem operam impendunt ad sermonem familiarem locupletandum, vel potius ad gurriendum inani verborum ostentatione. sed apud

doctos sapientesq; viros qui rē considerant, atq; eru-
ditionem alio modo metuntur, molesti sāpē sunt, &
nihil aliud quam stultitiam ipsi suam vel iuuenilem
intemperantiam & insulsam gloriæ affectationem
manifestant. Meminerat igitur eloquentiæ studiosi
seruandum esse vbiue decorum, vitent, reprimant,
fugiantque importunam eiusmodi ineptam & intem-
pestiuam in loquendo prōptitudinem atque vbera-
tem: & vel cum verbis, modestiæ præcepta, sapientiæ
studia, doctrinamque ingenuarum artium coniun-
gant, vel rerum potius scientia & cognitione quā
verborum copia pectus compleant exornentque.

Conclusio operis.

CVM igitur incredibilis quædā eloquentiæ vis sit &
autoritas, præclara dignitas summaque omnibus
in rebus utilitas: quæ nimirum, ut Cicero testatur, re-
git rōm publicam, describit mores, leges, iura, omnia-
que ad quamcunque rem pertinentia ornatae copio-
seque dicit, & ad salutem hominum à natura data est:
neque etiam quicquā inueniri possit laudabilius præ-
stabiliusque, vel admiratione audientiū, vel spe indi-
gentium, vel eorum gratia qui defensi sunt, & quo-
rum causa acta recte & confecta est maximopere qui-
dem omnibus ad pulcherrimam ejus ideam & facul-
tatem incomparabilem contendendum est, verum
ei tamen præcipue quem naturæ quædam congrua
proprietas inuitare videtur. Hic ergo maximam pru-
dentiam comparare studeat necesse est, multa lectio-
ne, doctrina, vīsu & exercitatione, atque vnicum sco-
pum virtutem sibi proponat & animi rectitudinem,
veitque honestus & virtute prædictus esse potius quā
videt; præterea ut viros sapientes, industrios, eloqué-
tes & aptos spectet consideretq; probatissmorum au-
torum scripta perlegat: in iis actionis modos obser-
uet;

et, comparat v erborum sententiarum & rerum copiam; dicendi agendiq; calliditatem in comediiis præfertim & tragœdiis cognoscere, cauere & imitari discat: noteq; phrases, optimam disponedi & collocandi rationem atque argumentandi subtilitates, itē quomodo & ex quibus locis illi exordia ducāt, vnde amplificationes, vnde partes orationis & quanto consilio eas disponant, quomodo tractent causam, quomodo affectus, vbi præparent auditores, vbi inarrent, vbi disputent, vbi refutent aduersarium, quomodo in epilogis motum & affectus orationi addant, itaque generali imitatione ex omnibus optima queque diligenter excerpatur. Si quem verò unum præcipue imitari cupit, eum tota mente & animo intueri debebit.

Et in Cicerone quidem eloquentiae parēte præclarata omnia obseruari possunt: plurima tum eleganter, ornata, acutè scripta & disputata, tum aptè connexa & prudenter, tum communita diligentissimè: mirabile construendi artificium, summum elegantiae studium: nihil adesse otiosum, nihil impro prium, nihil insuaue: omnia argumenta adiunctam habere explanationem, rationem & confirmationem, subsequitur amplificationem, expolitionem, autoritates, exempla: vbiique admisceri sententias graues: omnia dense que ita esse congrua, perspicua, facilia, venusta, ornata, cohærentia atque suavitatis, gratiae, sensus & doctrinæ plena, ut magna verborum copia (quam solam in eo nonnulli reprehendunt) non modo lectorem haud facile satiet sed detinet semper plurimumque delectet.

Exempla quadam ad excitandam studiosorum industriam ex Cicerone desumpta.

MAntonius explicas ratione suæ orationis, qua C. Norbanum seditionis ciuem & in Cepionis

viti cōsularis graui miserabilique casu crudelē de-
fenderat, et tenui & sola excusationis venia defensio-
ni præmisla & prætexta quod Norbanus quæstor i-
pius fuisset. omnium inquit seditionum genera vi-
tia, pericula collegi, conclusique ita ut dicerem et si
omnes molestæ semper seditiones fuissent, iustas ta-
men fuisse nonnullas & prope necessarias: neq; enim
reges ex hac ciuitate exigi, neq; tribunos plebis crea-
ti, neque plebiscitis toties cōsularem potestatem mi-
xui, neque prouocationem patronam illam ciuitatis
ac vindicem libertatis populo Romano dari sine no-
bilium dissensione potuisse: ac si illæ seditiones saluti
huic ciuitati fuissent, non continuo si quis motus po-
tenti factus esset, id C. Norbano in nefatio criminē es-
se ponendum.

*Hic libertatus & autoritatis nomine populum afficit
& exemplu ad maiorem & longiorem cōsiderationem
sollicitans, res indignitatis astum refrigerat.*

Quod si vñquam populo Romano cōcessum esset,
ut iure cōcitatius videretur quod ostēdissem, nullā illa
causam justiorem fuisse. Tum omnem orationem tra-
duxi & conuersti in incipit pandam Cepionis flagam, in
deplorandum interitum exercitus: sic & eorum dolo-
rem qui lugebat suos oratione restricbam, & animos
equitum Romanorum (apud quos tum iudices causa
agebatur, ad Cepionis odium, a quo erat ipsi propter
iudicia abalienati, renouabam. Quod ubi sensi me in
possessione iudicij & defensionis meæ cōstitisse: quod
& populi benevolentiam mihi cōciliatam, cuius ius
etiam cum seditionis coniunctione defenderam: &
iudicum animos totos, vel calamitate ciuitatis vel lu-
etu & desiderio propinquorū vel odio proprio in Ce-
pionem ad causam nostram cōuerteram. tunc admi-
scere cœpi generi huic atroci & vehementi genus leni-
tatis & māsuetudinis, &c. Sulpicius autē Norbani ac-
culator, vera inquit narras Antoni, nihil enim vñquā
vidā

vidi quod tam è manibus elaberetur. Nam cum ego tibi non iudicium sed incédiū, non oratione solum sed multo etiam magis vi doloreque & ardore animi concitatum tradidisse. quod tuum principium immortales fuit, qui timor, quæ dubitatio, quāta hesitatio, tractusque verborum. Ut tu illud initio, quod tibi vnum ad ignoscendum homines dabat, tenuisti, te pro homine per necessario questore tuo dicere, &c. Ecce autem serpere tandem occulte cœpisti, nihil dū aliis suspicantibus, me verò iam pertimescente. ut illum non Norbani seditionem, sed illum pop. Roman. iracundiam. neque eam iniustam, sed meritam ac debitam fuisse defenderes.

Hic seditionem iracundiam commode nominari nō tandem est.

Aliud.

Quæ mehercule ego Crasse, cùm à te tractantur in causis, horrere soleo: tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor oculis vultu gestu, digito denique isto tuo significati solet, tantum hume est grauissimum verborum, tam integræ sententiae, tam verè, tam nouæ, tam sine pigmentis fucoque puctili, ut mihi non solum tu incendere iudicem, sed ipse ardere videaris.

Aliud.

Quod ornementum, quæ vis, qui animus, quæ dignitas illi oratori defuit, qui in causa peroranda non dubitauit excitare teum consularem & eius diloria re tunicam, & iudicibus cicatrices senis imperatotis ostendere, &c in lib. de orat.

F O R T I T E R.

INDEX PRAE CIPVO.
rum capitum quæ hoc libro
continentur.

Quid sit rhetorica folio 15.	
De oratione rhetorica, & quanta sit cius sit.	19
De eruditate, &c. & præstantia huius artis.	16
De summa amplitudine cognitionis ad hanc facultatem necessaria, & unde illa comparanda sit.	23
De differentia rhetorica & dialectica,	25
De perfecto oratore eloquente, & diserto.	26
Cum inter eloquentem & disserendum autodistinxerit. & rhetorica & definitionem energie nomine auxerit.	28
Quoniam requirantur in oratore eloquente.	27
De ingenio, iudicio & doctrina.	27
De rerum, &c. & consuetudine.	27
De natura proprietate congrua.	28
De vis memoria.	29
De virtute animique restringendae & sinceritate.	29
Quoniam necessaria sunt studiositas ad hanc artem accende- ri & quomodo instruendae sit.	32
Brevius abhortatio ne simus si amplitudine huius sci- entia detercentur.	33
De officio eloquentia.	35
Quae sint partes rhetorica facultatis, & quid orator in quaever causâ querere debent.	35
Desinuentione.	36
De diffinitione orationis generalis.	37
Quae sint partes orationis rhetoricas.	37
De exordio.	37
De partibus exordij.	37
Quomodo exordium facile reperiri poterit & unde su- cendum sit.	38
De narratione.	39
De propositione orationis tertia pars,	39

Decas

INDEX

<i>De confirmatione.</i>	59
<i>De confutatione.</i>	40
<i>De amplificatione ordinaria, qua exaggeratio discetur.</i>	42
<i>De peroratione sine epilogo.</i>	43
<i>De duplice vi sine virtute dicendi, & ad quem finem omnis oratio inservit.</i>	43
<i>De cognitionis modis & causis, quae cognoscendū referuntur.</i>	43
<i>De causis qua ad agendum referuntur.</i>	44
<i>De causarum generibus.</i>	44
<i>De genere didascalico.</i>	44
<i>De genere iudiciale.</i>	45
<i>De genere deliberativō.</i>	45
<i>De genere demonstrativō.</i>	46
<i>Quibus partibus orationis in quoniam genere videtur sit.</i>	
<i>Ad quid conducit causarum distinctio.</i>	47
<i>De officio oratoris in genere iudiciale, & quoniam h. o. peculiariter invenienda, & precipue obseruanda sunt.</i>	47
<i>Quod sunt statu generis iudiciale & quād ericiantur.</i>	50
<i>De circumstantijs,</i>	52
<i>De inventioneracionum & argumentorum eorumque locis, & de modis argumentandi.</i>	53
<i>De locis generis demonstrativi & primum de ijs quas laudem personarum pertinent.</i>	60
<i>De modis locisque generis deliberativi.</i>	67
<i>De modo locisque generis didascalici.</i>	69
<i>De modo locisque generis iudiciale.</i>	70
<i>De locis confirmationis in statu coniecturali.</i>	70
<i>De modis confutationis defensionisque in statu coniecturali.</i>	71
<i>De locis confirmationis & confutationis in statu iudiciali.</i>	71
<i>De modo defensionis in hoc statu.</i>	72
<i>De modo locisque confirmationis & refutationis in locis</i>	


I N D E X.


<i>gittimo statu definitio.</i>	72
<i>De modo confirmandi & confutandi proposita, item disoluendi controversiam in statu contrariarum legum.</i>	72
<i>De modo status legalis ex scripto & sententia.</i>	73
<i>De modo locisque in statu ambiguis.</i>	73
<i>De modo status translatis.</i>	74
<i>De epistolarum generibus eorumque locis.</i>	74
<i>De epistola petitoria.</i>	74
<i>De monitoria.</i>	77
<i>De exhortatoria.</i>	77
<i>De locu exhortatorij generis.</i>	78
<i>De conciliatoria,</i>	79
<i>De commendatiss.</i>	80
<i>De amatoria Proci epistola.</i>	80
<i>De expositatoria.</i>	82
<i>De exhortatoria.</i>	82
<i>De inneditina.</i>	83
<i>De deprecatoria.</i>	83
<i>De epistola dedicatoria.</i>	83
<i>De affectibus rhetoriciis.</i>	89
<i>De natura ordinibus.</i>	89
<i>Quid necessarium sit ad recte adhibendum affectum rhetoricum.</i>	92
<i>Quid continat officium affectus rhetorici & quosuplex sit.</i>	92
<i>De locis affectuum.</i>	94
<i>De locis benevolentia.</i>	95
<i>De locis amoris.</i>	95
<i>De locis inuidia.</i>	96
<i>De elocutione secunda trattationis parte.</i>	96
<i>De verbis eorumque electione, collocazione & conclusione.</i>	97
<i>De figuris.</i>	99
<i>De figuris electionis.</i>	99
<i>De figuris significacionis.</i>	100
<i>Deetro-</i>	


INDEX.


<i>De tropis dictionis.</i>	101
<i>De scropis orationis.</i>	103
<i>De figuris que significacione propria minimè mutantur nonnihil utiles etiam adferunt artis oratoria, si- cet precipue ad usum loquendi pertineant.</i>	105
<i>De figuris significacione que ad rhetorica[m] propriè per- tinent.</i>	107
<i>De modis Variante & dilatanda orationis.</i>	110
<i>De dispositione orationis speciali terua tractationis parte.</i>	111
<i>De actione.</i>	113
<i>Quid continet actio.</i>	114
<i>De quindecim praeceptis tractationis.</i>	116
<i>De primo praecepto.</i>	117
<i>De secundo praecepto.</i>	119
<i>Quemam sit in varietate adhibenda cantus.</i>	130
<i>Quo remedio extenditur se obseruat[ur] audiendi radix.</i>	131
<i>De tertio praecepto.</i>	132
<i>De quarto praecepto quod adornatè acutegue docen- dum pertinet.</i>	133
<i>De quinto & sexto praecepto tractationis.</i>	138
<i>De septimo praecepto.</i>	140
<i>De octavo praecepto.</i>	140
<i>De nono praecepto.</i>	141
<i>De decimo praecepto.</i>	141
<i>De Undecimo praecepto.</i>	141
<i>De duodecimo tractationis praecepto.</i>	143
<i>De decimoterio praecepto.</i>	149
<i>De decimoquarto praecepto.</i>	144
<i>De decimoquinto praecepto.</i>	145
<i>Conclusio operis.</i>	148
<i>Exempla quadam.</i>	149

FINIS.









A1500317

OCN 902599049

2011-04-24 06:02:02

7573. 74.

Et hinc etiam dicitur de modis, quibus
voces etiam in vobis, omnes sentiuntur. Hoc
est enim quod est in cordibus vestris, quod sentiuntur
et voces cognoscere nullum est nisi oīo
nūc cognoscunt. Rātio, cognitio, nō
est in vobis.

